

Th. ev. dogm.
138

Theol. Luth. Dogm. 675.


COMPENDIUM
THEOLOGIÆ

Brevibus thesibus adornatum, &
XXII. Disputationibus propositum in Aca-
demiâ VVittebergenſi,

à

JOHANNNE MEISNERO,
S. S. Theol. D. & Prof. P.

EDITIO SECUNDA.



WITTEBRGÆ,
Typis & Impensis MICHAELIS Wendt/
Anno clc lcc LXIII.

169.

Theol. Luther. 546. 553. 548 575

COMPENDIUM
THEOLOGIAE

Brevior et christius doctrina
XXII. Editione nona recognita in hac
demum Vice edita

IOHANNES MEISSNER
S. S. Theol. D. & Prof.

EDITIO SECUNDA
Lipsiae, in Officina
Wittenbergensi, 1773.

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



ILLUSTRISSIMO AC CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO

JOHANNI
PRINCIPI ANHALTINO,
COMITI ASCANIÆ, DOMINO
SERVESTÆ ET BERN-
BURGI,

*Principi ac Domino meo clementissimo
Felicitem perpetuam precor.*



Inter cætera mo-
nita ac præcepta, à Deo
immortali humano gene-
ri tradita, ac per Mosen li-
terarū monumentis con-
signata, haud postremum
illud est, quod de liberorum educatione
Deut. vi. 6. seqq. legitur: *Erunt verba hæc, quæ
ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narra-
bis (ac ues) ea filiis tuis, & loqueris de eis sedens*

)(2

172

*in domo tua, & ambulans in itinere cubitum
ituris atque consurgens. Et ligabis ea in si-
gnum super manum tuam, & erunt in fronta-
le inter oculos tuos, & scribes ea super postes
domus tue, & in portis tuis.* Digna profe-
ctò sententia, quæ non postibus tantùm & la-
pidibus, sed memoriæ ipsi ac animis homi-
num inscribi debeat: nam & parentum libe-
rorumq; officium continet, & quibus rebus
animi hominum effici meliores, quibusque
modis virtutem assequi, & à vitiis declinare
possint, docet: nullâ aliâ re sanè, quàm si pa-
rentes, & qui in eorum locum succedunt, li-
beros suos & puerilem ætatem quamcunque
in verâ pietate non oscitanter imbuant, &
à teneris unguiculis ad librorum sacrorum
atque doctrinæ in eis traditæ cognitionem
assuefaciant. Permultùm quidem natura
indolesque ad sapientiam & vitæ innocen-
tiam valet & est prætereà honestorum & tur-
pium discrimen à naturâ homini insculptum,
ut non tantùm nosse Deum & legem divinâ,
sed & facere, quæ illa jubet, quoad antenus
possit

possit, interim pauci solâ naturâ duce virtu-
tem sibi comparant, & perversitate homi-
num animus à recto tramite sæpè in trans-
vorsum rapitur, & totum illud virtutis studi-
um, quantum quantum est, in vitium facile
degenerat. Quare stimulis quibusdam & af-
fidua frequentiq; exercitatione opus est, quâ
innata ac insita virtutis semina juventur
non nihil, ut in majus meliusq; promovean-
tur, vitia contra, & quicquid animum in de-
via abripit, circumcidatur & amputetur.
Hæc est illa cura, quæ Adamum cæterosque
Patriarchas & Prophetas fatigavit, hæc Apo-
stolos & eorum successores versavit, qui non
ipsi tantum alios docebant, sed & parentes
omnes, ut idem facerent, invitabant subin-
de & hortabantur. *Parentes educate liberos
in disciplinâ & doctrinâ Domini*, Paulus ait
Eph. vi. 4. Eandem viam quoque institerunt
primitivæ Ecclesiæ Doctores, Justinus Mar-
tyr, Scriptorum Ecclesiasticorum omnium
ferè, qui nunc extant, antiquissimus, qui Ro-
mæ *Ματρίβας* suas habuit, ut Hieron. in Catal.

testatur, Origenes, scholæ Catecheticæ Alex-
andriæ præfectus, ejusq; successor Pantænus,
Clemens Alexandrinus & multi alii sapien-
tissimi homines, qui probè intelligebant,
quantum momenti & ad privatam singulo-
rum, & publicam totius civitatis Rerumq; pu-
blicarum utilitatem & incrementum domi
forisq;, bello juxta ac pace, provehendum po-
situm sit, si hæc rectè administrarentur, & juvèn-
tus in verâ ad Deum religione cultuque in-
formetur. Quorû exemplis ego quoq; incita-
tus, brevibus quibusdam thesibus totius fi-
dei Christianæ summam, & pauca alia, quæ
de illâ hodie controvertuntur, capita com-
pendio complexus sum, & quâ legendo quâ
disputando, ne quid dubii resideret, exposui,
eum potissimum in finem, ut discipulorum a-
nimi per tales *ἀνεγασσεις* præpararentur, ipsique
haberent rursus, quæ olim aut liberis suis, si
res ita ferret, aut auditoribus traderent. Has
augusto nomini Tuo, PRINCEPS ILLU-
STRISIME, nunc inscribo & offero, eâ spe
fretus, fore, ut, quod humillimè oro, hilari ac
sereno

fereno vultu admittas, quod ex Academia
vicinâ, fidei ac confessionis nexu junctâ eaq;
nec barbarâ, nec incultâ, nec bonarum lite-
rarum experte, quod malevoli mentiuntur,
& quod caput rei est, doctrinæ orthodoxæ
custode ac vindice, profectum est. Neque
enim aut TE, CELSISIME PRINCEPS,
aut cæteros Principes omnes, qui hodie vi-
vunt, Antiochos, Hadrianos aut Leones esse
fat scio, qui oblatos libellos vel abjiciant, vel
igni tradant, non omnes Nerones, Bassianos
aut Licinios, qui literatos oculis aut vitâ pri-
vent, aut literas ipsas pestes ac venenum Rei-
publ. pestes ipsi, habeant, sed fuerunt omni
ævo & adhuc sunt nostrâ ætate Constantini,
Honorii, Gratiani aliique magno numero,
quorum nomina perpetuâ famâ ac memoriâ
hominum celebrabuntur. Quâ occasione
Tuæ Celsitudini de nato recens Principe
gratulari humiliter simul volui, & cum ob-
scurum nemini sit, cui parti Christianorum
imbuendum traditurus sis, quod palàm
Christiano orbi jampridem fecisti, testimo-
nium


nium

nium ὁμοφρονας reddere, DEUM precatus, ut
TE, ILLUSTRISIME PRINCEPS, ac fi-
liolum Principem, unde domui ac fami-
liæ tuæ serenissimæ nobisq; omnibus ingen-
tia promittimus, quàm diutissimè salvos &
incolumes fervet. Scrib. V Vitteb. d. xviii.
Decembr. clō Ibc LII.

Illustrissimæ Celsitudini Tuæ

subjectissimus & ad preces
humillimas paratissimus

JOHANNES MEISNERUS, D.



COMPENDII THEOLOGICI
DISPUTATIO I.
DE
THEOLOGIA IN GENERE.

PRÆSIDE
JOHANNE MEISNERO,
S. S. Theol. D. & Prof. P.

RESPONDENTE
M. FRANCISCO HENRICO RICHTERO,
NEO-STETIN. POMERANO.

THES. I.



Theologia vi nominis doctrinam
de DEO & rebus divinis notat, ut
Cosmologia, Anthropologia, Astro-
logia.

II. Dicitur autem ita primariò
Theologia ἀρχέτυπον, quâ Deus seipsum cognoscit
in seipso, & extra seipsum omnia, actu scientiæ indi-
viduo & immutabili Matt. XI. 27. *Nemo novit Filium, nisi
Pater: Neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit
Filius revelare.* I. Cor. II. 10. *Spiritus (DEI) omnia scruta-
tur, etiam profunda Dei.*

III. Atque hæc Christo quoquē competit, tum
ratione Deitatis per naturam, tum ratione humanita-
tis per gratiam cōmunicationis, quæ propriè dicitur
Theologia unionis. Col. II. 3. *In Christo sunt omnes the-
sauri*

A

sauri

*sauri sapientia & scientia absconditi. Et v. 9. In ipso inhabitat
omnis plenitudo Deitatis corporaliter.*

iv. Deinde *ἐκ τῆς*, quam Deus ex illa essentiali
expressam creature rationali gratiosè communicavit.
Eph. iv. 7. *Unicuique nostrum data est gratia, secundum
mensuram donationis Christi.*

v. Communicavit verò i. per unionem humanæ
Christi naturæ, tanquam consecrarium quoddam u-
nionis personalis, unde ipsa quoque Theologia *Unio-
nis* rectè dicitur, estque vel connata, vel per Spiritum
sanctum infusa, vel per experientiam acquisita, vel de-
nique intuitiva, eaq; in tanto gradu, quo in naturam
creatam cadere potest. Luc. ii. 40. *Puer crescebat & con-
fortabatur spiritu, plenus scientiâ, & gratiâ Dei erat in illo.
Et v. 52. Et Jesus proficiebat scientiâ & etate & gratiâ apud
Deum & homines.*

vi. Deinde per claram & intuitivam visionem, inde
est Theologia *visionis*, quâ Angeli & beati homines in
cælo non quidem omnia, sed Deum, & quæ Deo pla-
cet ipsis revelare, nec ut nos in speculo, sed coram &
clarè intuentur. Matt. xviii. 10. *Angeli puerorum sem-
per vident faciem patris mei, qui in cælis est. 1. Cor. xiii. 12. Vi-
demus nunc per speculû in enigmate, tunc autem facie ad faciẽ.*

vii. Tandem per revelationem viatoribus factam,
hinc est Theologia *viatorum*, quâ homines in terris de-
gentes Deum & res divinas cognoscunt. 1. Cor. ii. 10.
Nobis revelavit Deus per Spiritum suum.

viii. Et hæc revelatio facta rursus est initiò quidem
per Naturam, unde Theologia Naturalis, quâ primi
parentes Deum & res supernaturales imò & naturales
quoq; , sed longè perfectius, quàm ullus homo, exce-
pto solo Christo, cognoverunt. Col. iii. 10. *Induite novũ
homi-*

hominem, qui renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem eius qui creavit eum.

IX. Verum hæc per lapsum maximam partem est amissa. Eph. IV. 17. *Gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habent intellectum, alienata à vita Dei, per ignorantiam, quæ est in illis.*

X. Superfunt tamen reliquiæ nonnullæ, unde adhuc tum ex principiis innatis, tum ex aspectu creaturarum quædam de Deo, aliaque principia communissima cognoscimus. Rom. I. 17. seqq. *Revelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem, & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent: quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius à creaturâ mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ita ut sint inexcusabiles. Et cap II. 14. seqq. Cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium.*

XI. Et quanquam hujus Theologiæ usus non sit nullus, interim nec ad æternam salutem acquirendam sufficit, nec per se quenquam hominum eò perducit. I Joh. V. 12. *Qui non habet filium Dei, vitam non habet. Rom. I. 21. Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.*

XII. Unde, præsupposito fine supernaturali, alia Supernaturalis, per Christum, Prophetas & Apostolos facta, necessaria fuit Joh. XIV. 6. *Ego sum via & veritas & vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me.*

xiii. Et quia hæc nec de rebus naturalibus agit, nec ex principiis naturaliter notis deducitur, nec per humanam solertiam, sed Spiritus Sancti illuminationem comparatur, ideò est habitus *θεόςδοσις*, toto genere distinctis ab habitibus, ab Aristotele recensitis vi. Ethic. cap. iii. Matth. xvi. 17. *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus, qui in cælis est.*

xiv. Propter objectum autem, quod sunt dogmata fidei & præcepta pietatis; & finem, qui simul in visione Dei beatificâ consistit; & media ad finem perveniendi, quale etiam est cognitio Dei, nec tantum practicus, nec tantum Theoreticus habitus est, sed theoreticus & practicus simul. Joh. xvii. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti, JESUM CHRISTUM.*

xv. Et sicut res ipsæ ex solâ revelatione supernaturali innotescunt, ita quoque methodus ac ratio eas docendi pariter & addiscendi inde peti unicè debet. Act. xiv. 15. seqq. *Annunciamus vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.*

xvi. Melioris tamen doctrinæ causâ potest in tres partes distingui, quarum prima est Theologia specialiter dicta, & agit de Dei essentiâ, attributis, personis & operibus. Altera Anthropologia, & agit de hominis integritate, corruptione ac restauratione. Tertia Christologia, quæ agit de Personâ & officio
CHRISTI, mediisque reparationis.

videntia, asservantur. Rom. III. 2. *Judæis credita sunt e-
logia Dei.*

v. Si qui verò libri Sacri perierunt, illi nec divini-
tùs inspirati, nec unquam ab Ecclesiâ recepti sunt, nec
ad Canonem pertinuerunt, nec integritati ejus quic-
quam derogant, nec denique alia dogmata à supersti-
tibus continuerunt. Luc. XVI. 29. *Habent Moſen & Pro-
phetas, audiant illos.*

vi. Nec tantùm libri & eorum partes, sed etiam
verba ipsa, literæ ac puncta sine omni corruptione,
tàm voluntariâ, quàm involuntariâ adhuc in proba-
tis codicibus supersunt. Matt. V. 18. *Amen, amen dico
vobis, donec transeat cælum & terra, jota unum aut unus apex
non præteribit à lege.*

vii. Omnes autem & singuli Canonici libri & li-
brorum particulæ à Deo sunt, tùm Scriptores Sacros
ad scribendum peculiari afflatu impellente. II. Pet. I.
21. *Non voluntate humanâ allata est aliquando Prophetia,
sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.*

viii. Tùm singulari assistentiâ dirigente, ne ullo
modo à vero aberrare, mentiri, fallere ac σολοικίζειν
possent aut vellent Joh. XIV. 26. *Spiritus Sanctus, quem
mittet pater in nomine meo, vos docebit omnia, & suggeret vo-
bis omnia, quæcunq; dixerero vobis.*

ix. Imò sententias, ordinem & verba singula, quæ
hodie in codice biblico leguntur, suggerente. Jerem.
XXXVI. 2. *Tolle volumen libri, & scribes in eo omnia verba,
quæ locutus sum tibi.*

x. Ex eodem fonte est, quòd habeat intrinsecam
vim & efficaciam, adeoque sit efficax medium & in-
stru-

principio = ἡ ἀρχὴ

strumentum homines illuminandi, convertendi & salvandi. II. Timoth. III. 15. *Sacræ literæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Jesu.*

XI. Non modò, cum legitur, auditur aut aliàs attentè consideratur, sed etiam extra lectionem, meditationem & applicationem, etsi operationem suam, ordinariam actu secundo non semper exerat Rom. I. 16. *Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti, Judæo primùm & Græco.*

XII. Sicut autem effectus ejus salutaris ex Dei intentione ad omnes homines pertinent, ita omnes non tantùm docti aut Clerici, sed etiam indocti, imi, summi, medioximi ad ejus lectionem invitandi sunt, nec quisquam temerè arcendus. Joh. V. 39. 40. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam eternam habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.*

XIII. Ut verò ab omnibus, iis etiam, qui textum originalem, non callent, legi & intelligi possit, in linguam vulgò cognitam, & cuivis nationi vernaculam transferri potest ac debet. Deut. VI. 6. seqq. *Erunt verba hæc, quæ ego precipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens: Et ligabis ea, quasi signum in manu tua, eruntq; & movebuntur inter oculos tuos: scribesq; ea in limine, & ostiis domûs tua.*

XIV. Nulla tamen versio, quanta quanta etiam sit, aut præferenda aut æquiparanda est textui authentico Hebræo Veteris, exceptis paucis particulis, & Græco Novi.

Novi.

Novi Testamenti. II. Tim. III. 16. *Omnis Scriptura est
divinitus inspirata.*

xv. Ad hunc solum enim, tanquam ad normam, in
controversiis fidei & versionibus ipsis examinandis
semper recurrendum est Eph. II. 19. seqq. *Estis cives
sanctorum & domestici Dei, superadificati super fundamen-
tum Apostolorum & Prophetarum.*

xvi. Et quamquam Ecclesia per aliquod secula
tùm Latinâ veteri, tùm LXX. Interpret. Græcâ inter-
pretatione usa sit, neque nos eas aut objiciendas aut
contemnendas dicamus, sed suum iis lucum inter
vetustas versiones meritò relinquamus, nequaquam
tamen eas authenticas facimus, sed habeant
tantam auctoritatem, quanta versio-
nibus antiquis de-
betur.



COMPENDII THEOLOGICI
DISPUTATIO III.

DE

SCRIPTURA SACRA.

PRÆSIDE

JOHANNES MEISNERO,

S. S. Theol. D. & Prof. P.

RESPONDENTE

M. CHRISTIANO LAURENTIO,

DRESDENSI.

Thes. I.

Sicut Scriptura Canonica verum & immutabile Dei ^{veritate} *veritas est (concl. Carthag. vni. Cone-
nis in legione facta vni. p. o. i. g. in Eu-
logit. l. d. p. d. e. a. d. d. v. n. i. d. f. r. a. n. c. i. s.
mores, q. ex. c. o. p. p. a. n. d. q. a. p. p. o. r. t.
p. h. a. d. i. g. n. i. t. a. t. e. q. p. l. a. n. i. f. e. l. i. c. i. t. a. t. e.
f. e. l. i. c. i. t. a. t. e.*
verbum est, ab ipso Spiritu Sancto Prophetis & A-
postolis inspiratum; ita non aliunde, nisi ab eodem,
auctoritatem suam habet, nec propter aliud, sed per
se, quia Dei verbū est, propriè eidem creditur, i. Thess.
II. 13. *Accepistis verbum auditus Dei, non, ut verbum homi-
num, sed (sicut est verè) verbum Dei, qui operatur in vobis,
qui credidistis.*

I I. Innotescit autem nobis ex certis quibusdam
notis, tum extrinsecis, utpote miraculis, quibus con-
firmata fuit, antiquitate, consensu tot populorum cu-
juscunque ætatis, admirabili successu conversarum
gentium, constantiâ martyrum & confessorum; tum
intrinsecis, rerum & verborum majestate, veritate,
prædictionum, doctrinæ sanctitate & ad flectendas
hominum mentes ad virtutem atque à vitiis avocan-
das,

B

das,

das efficaciam, Marc. xvi. 20. Illi profecti predicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. I. Cor. ii. 4. Sermo meus & predicatio mea ^{non} in persuasibilibus humana sapientia verbis, sed in ostensione Spiritus & virtutis.

III. Hæc argumenta *ἀποδείξεις* Scripturæ S. probabilem quidem, aut humanitatis infallibilem faciunt, nondum tamen ad præbendum indubitata fide assensum commovent, nisi divina quædam vis & *ἐκέρχνη* verbo indita, & Spiritus Sanctus in auditorum lectorumque animis eidem certum & infallibile testimonium perhibeat. I. Joh. v. 6. Spiritus est, qui testificatur, quod spiritus (doctrina Spiritus) sit veritas. Et. v. 10. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se.

IV. Ecclesiæ testimonium etsi ipsum quoque præclarum sit, nec primum tamen nec summum est, nec valet, nisi apud Christianos, nec fidem divinam, sed humanam gignit, nec denique homines ad assentiendum, nisi externè, & manu quasi ducit ac iuvitat. Joh. ^{in Joh. 5. c. 1. f. 35.} iv. 39. seqq. Ex civitate illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris, testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia, quaecumque feci. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum, ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. Et multo plures crediderunt in eum, propter sermonem ejus. Et mulier dicebant, non amplius propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus, & scimus, quia hic est verè Salvator mundi.

V. Quæcunque dogmata fidei ad salutem sive necessitate medi, sive præcepti divini necessaria sunt, ea evidentia in scripturis proponuntur, ut ab indoctis etiam intelligi possint. II. Pet. i. 19. Habemus firmiorem sermo-

sermonem propheticum, cui benefacitis attendentes, quasi lucerna, lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris.

VI. Dummodò necessariis ad eam rem adminiculis instructi legant vel audiant, imprimis verò intellectus illuminationem ad eas intelligendas à Spiritu Sancto petant. II. Cor. IV. 6. *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu.*

VII. Et hanc interpretationem suam esse veram & menti Spiritus Sancti conformem ex proprietate linguæ & naturali vocum significatione, occasione dictorum & materiæ subjectæ, item scopo dicentis & aliis interpretandi mediis fide humanâ credunt, divinâ verò ex internâ testificatione Spiritus Sancti. Joh. III. 33. *Qui accipit Dei testimonium, obsignavit, quia Deus verax est.*

VIII. Unde Ecclesiæ interpretatio tam circa Scripturas, quàm circa controversias inde exortas nec infallibilis, nec simpliciter necessaria est, nec aliter, quàm si cum Scripturâ convenient & inde probetur, recipienda. II. Pet. I. 20. seqq. *Omnia prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit: non enim voluntate humanâ allata est.*

IX. Idem quoque de interpretatione Doctorum, Ecclesiæ sive plurium sive paucorum, in vel extra Concilium, universale aut particulare congregatorum, sentiendum est, quæ humano ingenio industriaque nititur, & fidem humanam gignit. Rom. III. 4. *Omnia homo mendax.*

X. Alia tamen ratio est, si talis interpretatio ab omni-

mnibus ubique Christianis, omnibusq; seculis viventibus recipiatur: Hi enim propter peculiarem gratiam, directionem & assistentiam capitis Christi & Spiritus Sancti in rebus ad salutem necessariis errare non possunt. Matt. xvi. 18. *Super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & porta inferorum non prevalebunt adversus eam.*

xI. Neque interim plures, quàm unicus unius dicti sensus literalis est, quem rei gestæ narratio & series verborum sub communi & usitatâ vocum sive propriâ sive metaphoricâ significatione repræsentat. Joh. v. 39. *Scrutamini Scripturas. cap. xx. 31. Hæc scripta sunt, ut credatis.*

xII. Ipsa quoque Scriptura unica & totalis regula & norma est, quia omnia dogmata fidei & morum, sufficienter comprehendit, nec ullum eorum est, quod vel expressè in eâ perscriptum non sit, vel per bonam & firmam consequentiam inde deduci non possit, II. Tim. iii. 16. seqq. *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum injustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.*

xIII. Unde traditiones non scriptæ, novum objectum, aut novam à Spiritûs Sancti mente alienam ejus interpretationem tradentes, nec necessariae sunt, nec Dei verbum censendæ, nec pari pietatis affectu cum reliquis scripturis Canonicis recipiendæ sunt. Deut. xii. 8. *Non facietis singuli, quod vobis rectum videtur. Et v. 32. Quod precipio tibi, hoc tantum facito, nec addas quicquam, nec minuas ex eo.*

oro, setz unis meli et tremore. Vol. J. Stephan. Duranton de Robt. Eccl. p. 182. et ff. susaibon. Eper. 16. Sed. 4.
Gentilibz quoz sacris erat in us: vil. bullon. de formidib. Rom. 1. 17. 48. ad fulta: Frangite vincum.

COMPENDII THEOLOGICI

DISPUTATIO IV.

DE

DEO ET ATTRIBUTIS DIVINIS.

PRÆSIDE

JOHANNNE MEISNERO,

S. S. Theol. D. & Prof. P.

RESPONDENTE

M. CHRISTOPHORO BOHEMO,

Radebergensi Misnico.

Thes. I.

Objectum Theologiae ^{sp. fidei} *primarium* & suo modo *adæ-*
quatum est Deus, non ut ex naturæ principiis co-
gnoscitur, aut naturaliter notus supponitur; hæc e-
nim cognitio nec salutaris est, nec pars fidei *salvificæ*;
sed prout ex revelatione supernaturali innotescit, &
fide divinâ creditur. Joh. I. 18. *DEUM nemo vidit unquam.*
Unigenitus FILIUS, qui est in sinu PATRIS, ipse enarravit. Cap.
XVII. 3. *Hæc est vita eterna, ut cognoscant te solum verum*
DEUM, & quem misisti, JESUM CHRISTUM.

et. sumit pariter v. d. ill. d. 1.

II. Cognitio ejus explicita omnibus salvandis, o-
mniq; tempore tam necessitate medii, quam præce-
pti ad eò necessaria est, ut ignoratio sit damnabilis, du-
bitatio impia, negatio hæretica & blasphema, oppu-
gnatio diabolica & contra conscientiam. Hebr. XI. 6.

B 3

Acce-

Antecedentē ad Deum oportet credere, quod sit, & inquirentibus se remunerator. II. Thess. I. 8. Dominus in flammā ignis dabit vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi.

III. *Quanquam verò propter simplicitatem, infinitatem & singularitatem exactè à nobis definiri nequeat, ac aliàs genere proprio & differentiā specificā destituatur. I. Tim. VI. 16. Rex regum, & Dominus dominantium solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.*

IV. *Cognoscitur tamen sufficienter, partim ex nominibus divinis, ex quibus Jehovah, sine complexione sumptum, ipsi soli convenit, eumq; ab aliis non diis distinguit. Exod. III. 13. seqq. Si dixerint mihi, quod est nomen ejus? quid dicam eis? Dixit Dominus ad Moysen: Ego sum, qui sum, ait: sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos. Dixitq; iterum Deus ad Moysen: Hec dices filiis Israel: Jehovah, Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob misit me ad vos: hoc nomen mihi est in eternum, & hoc memoriale meum in generatione & generationem. Mich. IV. 5. Omnes populi ambulabunt, unusquisque in nomine Dei sui: nos autem ambulabimus in nomine Jehovah Dei nostri in eternum.*

V. *Partim ex attributis & proprietatibus, tum quidditativis, quæ essentiam absolutè significant, uti sunt ens, substantia, Spiritus; tum quæ per modum affectionum tribuuntur, ut bonitatis, sapientiæ, justitiæ, veritatis, quibus nobis Scriptura essentiam Dei in adæquatè repræsentat. Exod. XXXIII. 23. Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.*

VI. At-

vi. Atque hæc non sunt nuda nomina, nec ab intellectu nostro finguntur, sed verè & realiter DEO competunt ante omnem intellectus nostri operationem. Exod. xxxiv. 6. seqq. *Dominus est Deus misericors, & clemens, longanimis, & multa bonitatis ac veritatis, servans bonitatem in millia, condonans iniquitatem prævaricationum & peccatum, visitans iniquitatem patrum in filiis, & in filiis filiorum, usque in tertiam & quartam generationem.*

vii. Non insunt tamen ipsi, nec de illo prædicantur per modum inhaesionis & compositionis, cum nec ipsa accidentia sint, nec tale in Deum ullâ ratione cadat, sed per modum perfectionis & simplicissimæ denominationis. ^{non est nisi, d. veri realis} Malach. iii. 6. *Ego Dominus, & non mutator. Psal. cii. 27. seqq. Cæli peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut indumentum mutabis eos, & mutabuntur: Tu autem idem ipse is, & anni sui non deficient.*

viii. Nec vel ab essentiâ divinâ, vel inter sese ex naturâ rei, ut res planè diversæ, aut unicus ejusdemque simplicis rei duæ pluresve quidditates, aut diversi modi, sed ratione tantùm distinguuntur. Esa. xliiii. 25. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Psal. xxv. 7. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, secundum misericordiam tuam memento mei propter bonitatem tuam, Domine.*

ix. Non prædicantur autem de Deo & creaturis synonymicè aut analogicè, nec tantùm gradu excellentiori magisque propriè Deo, quàm nobis competunt, sed illi *μονοτέπως*, nobis verò propter aliquam similitudinem; Deus enim ita estens & essentia, ita
sapiens

sapiens, bonus, immortalis, ut solus omnis entitatis
& essentiæ fontem habeat, solus sit sapiens, solus bo-
nus & immortalis. Exod. III. 14. *Ego sum, qui sum.* Rom.
xvi. 17. *Soli sapienti Deo per Jesum Christum sit gloria in se-
cula.* Matt. xix. 17. *Quid me vocas bonum? nullus est bonus,
nisi unus Deus.* 1. Timoth. vi. 17. **DEUS Solus habet immor-
talitatem.** Esa. xl. 17. 18. *Omnes gentes sunt quasi nihil coram
eo, & minus quam nihilum, & vacuum aestimatae sunt ab eo.
Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem pone-
tis ei?*

x. Unitas, simplicitas, spiritualitas, & reliqua at-
tributa Dei, interna & externa, absoluta & relativa,
affirmativa & negativa non sunt eadem cum attribu-
tis entis, nec eo modo à nobis concipienda, nec ex na-
turâ probanda sunt; secus fidem divinam non gene-
rant, sed ex solâ revelatione divinâ tùm cognosci &
astrui, tùm credi debent. Deut. vi. 4. *Audi Israel,
Dominus DEUS noster, DEUS JEHOVA
unus est.*



COMPENDII THEOLOGICI

DISPUTATIO V.

DE

SS. TRINITATE.

PRÆSIDE

JOHANNES MEISNERO,

S. S. Theol. D. & Prof. P.

RESPONDENTE

M. BENJAMINE GERLACHIO,

Ridczynâ Polono.

THES. I.

Articulus de SS. Trinitate cum mysterium pandat supra captum hominum & rationis nostræ longissimè subiectum, cuius non tantum modus, quomodo esse talia vel fieri queant, sed etiam res ipsa à naturâ ignoratur, ex solâ revelatione supernaturali innotescit Matt. xvi. 17. *Caro & sanguis non revelavit tibi, (quod Christus sit filius Dei vivi,) sed Pater meus, qui in cœlis est.*

II. Unde etiam ex solâ illâ, non ex ratione & naturali ejus lumine erui, probari aut repugnari debet. I. Cor. 1. 20. seqq. *Ubi Sapiens? Ubi Scriba? Ubi inquisitor hujus seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvus facere credentes.*

III. Si quod simile in Ethnicorum libris legitur, id non ex naturali intellectus lumine & sagacitate, sed vel ex lectione verbi & Prophetarum libris, vel ex informatione & colloquiis, cum Christianis Judæisque, vel ex fama & traditione aliorum, vel aliunde deni-

C

que

quæ haustum est. 1. Reg. viii. 41. seqq. *Alienigena, qui non est de populo tuo Israel, cum venerit de terrâ, longinquâ, propter nomen tuum, (audietur enim nomen tuum magnû, & manus tua fortis, & brachium tuum extentum ubiq;.) & oraverit in hoc loco, tu exaudies in cælo, in firmamento habitaculi tui.*

vi. Hæc autem est fides Catholica de SS. Trinitate, quod Deus sit essentiâ unus, & existat in tribus distinctis unius illius divinæ naturæ & essentiæ personis, quæ sunt Pater, Filius & Spiritus S. Matt. iii. 16. 17. *Ecce aperti sunt cæli, & vidit (Johannes) Spiritum Dei descendente sicut columbam, & venientem super ipsum (Christum,) Et ecce, vox de cælis, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Cap. xxviii. 19. Euntes, doce te omnes gentes, baptizantes eos in nomine PATRIS & FILII & SPIRITUS SANCTI.*

v. Neq; tamen hoc mysterium post multa secula à Christo & Apostolis primùm revelatū est, nec in N. deum Testamento, sed cum Ecclesiâ & mundo ipso cepit. Act iii. 18. *Deus, quæ prænuñciavit per os omnium suorum Prophetarum, pati Christum suum, sic implevit. Et v. 24. Omnes Propheta à Samuele, & deinceps, qui locuti sunt, annuntiaverunt dies illos. Gen. i. 26. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram Cap. xix. 24. Dominus pluit super Sodomam & Gomorrhæam sulphur & ignem à Domino de cælo.*

vi. Idem etiam ex nomine plurali *Elohim* constructo cum verbo singularis numeri, & attributis personalibus, soli Deo propriis, & ad personas Trinitatis applicatis, firmiter astringitur. Gen. i. 1. seqq. *In principio creavit Deus cælum & terram. Et Spiritus Domini ferebatur super aquas, Dixit q; Deus, fiat lux.*

vii. Quanquam enim utrobique diversi gradus revelationis sint, tam quoad claritatem cognitionis, quam

quàm quoad res ipsas revelatas, sufficienter tamen & quantum patribus V. T. ad salutem cognitu necessarium fuit, patefactum est. Act. xv. 11. *per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi.*

VIII. Quanquam item dicta V. T. non æquè clara sint ac Novi, id tamen, quod ibi nonnihil obscurum est, ex novis libris, Canonis Judæorum superadditis, ex clarioribus & evidentioribus tum dictis, tum apparitionibus, Ecclesiæ & Prophetis factis, horumq; interpretationibus debuit illustrari. Hebr. 1. 1. 2. *Multifariam multisq; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio.*

IX. Hæc fides explicata, & distincta trium personarum SS. Trinitatis cognitio ad salutem homini prorsus necessaria est, nec sine dispendio salutis à quoquã ignorari potest. II. Thess. 1. 8. *Dominus Jesus in flamma ignis dabit vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi.*

X. Quæ necessitas dependet partim à mandato Dei, jubentis ut omnes salvandi baptizentur, & credant in Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. Matth. xxviii. 19. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti.*

XI. Partim à medio ad adipiscendam vitam æternam à Deo ordinato. Joh. xvi. 3. *Hac est vita æterna, (medium ad vitam æternam,) ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti, Jesum Christum.*

XII. Nec tantum nostris, hoc est, N. T. sed etiam V. temporibus; utrobique enim idem fidei & religiosi cultus objectum propositum fuit. Act. x. 43. *Huic omnes Propheta & testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.*

xiii. Neq; tamen omnium ignorantium idem reatus est; gravius enim peccant Christiani, quam gentiles, revelatione supernaturali destituti; & inter hos rurſo ij, qui sub N. quàm qui sub V. T. vixerunt; gravius item, qui Evangelium propriâ, quàm qui majorũ culpâ amiſerunt; maximè tolerabilis est eorum reatus, qui extra Ecclesiam in infantiâ moritur, ideoq; de eorum salute vel damnatione nihil temerè pronunciamus. Matt. XI. 21. seq. *Va tibi Corazim: Va tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone, facta essent virtutes, quae factae sunt in vobis olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Veruntamen dico vobis: Tyro & Sidoni remissius erit in die judicij, quam vobis.*

xiv. Deus Pater est Prima persona, quæ à se est, & ab æterno genuit Filium sibi *ουογονον*, & cum Filio spiravit Spiritum S. Pſal. II. 8. *Filius meus est tu, ego hodie genui te.*

xv. Filius est secunda Persona, realiter à patre, tanquam genitus à gignente, & à Spiritu Sancto, ut alius, distincta Joh. XIV. 16. *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis.*

xvi. Estq; verus & essentialis Deus, *αὐτὸς θεὸς*, & ab æterno ineffabiliter à Patre genitus. Rom. IX. 5 *Ex patribus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus, benedictus in secula, amen.*

xvii. Spiritus Sanctus est tertia Persona, à patre & filio realiter distincta, & ab utroq; ab æterno procedēs. Joh. XV. 26. *Cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre, Spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.*

xviii. Idemq; unus cum Patre & Filio naturâ verus Deus. Act. V. 3. 4 *Anania, cur implevit Satanas cor tuum, ut mentireris Spiritui Sancto? Non es mentitus hominibus, sed DEO.*

COMPENDII THEOLOGICI

DISPUTATIO VI.

DE

DE CREATIONE ET PROVI- DENTIA.

PRÆSIDE

JOHANNES MEISNERO,

S. S. Theol. D. & Prof. P.

RESPONDENTE

M. MARTINO CLEMENTE COLERO,

Uffenhemio-Franco.

Thes. I.

OMnium primum ac præcipuum Dei opus externum est Creatio, seu actio, quâ ipse in tempore & sex dierum intervallo res omnes, visibiles & invisibiles, materiales & immateriales, ex nihilo, solo nutu & voluntate suâ, verboq; potentissimo, sine ullo alio adniculo, exte se produxit. Gen. 1. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram.*

II. Quod sicut ex solâ revelatione divinâ innotescit, ita à nobis creditur, non scitur, nec rationibus, & argumentis philolophicis apodicticè & evidenter demonstratur. Heb. xi. 3. *Fide intelligimus, aptata esse secula verbo DEI, ut ex invisibilibus invisibilia fierent.*

III. Est autem creator unus DEUS, PATER, FILIUS, & SPIRITUS SANCTUS, quorum ut una est essentia &

C 3

poten-

potentia, ita una quoque actio, nec causa causa crea-
tionis rectè dici possunt. Psal. xxxiii. 7. *Verbo Domini
caeli firmati sunt, & Spiritus oris ejus omnis exercitus e-
orum.*

iv. Et quanquam Pater per Filium mundum crea-
verit, neque tamen ille Patris minister aut instrumen-
tum fuit in creatione. Heb. 1. 3. 4. *Pater per Filium fe-
cit secula, quæ est splendor gloria & substantia ejus, portans
omnia verbo virtutis suæ.*

v. Idem quoque solus omnium rerum effector
est, nec ulla alia creatura, spiritualis aut corporea,
quicquam ex nihilo produxit. Job. ix. 8. *Deus extendit
caelos solus. Esa xlv. 6. 7. Ego Dominus, & non est alius, for-
mans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans ma-
lum.*

vi. Imò potentia creandi adeò soli Deo propria
est, ut illa nulli creaturæ, sive tanquam causæ princi-
pali, sive instrumentali, dependenter aut indepen-
denter agenti ullatenus communicari possit. Psal.
xcvi. 5. *Omnes dii gentium daemonia: Dominus autem caelos
fecit. Jer. x. 10. seqq. DOMINUS DEUS verus est, ipse DEUS
vivens & rex sempiternus, ab indignatione ejus commovebi-
tur terra, & non sustinebunt gentes comminationem ejus. Sic
ergò dicetis eis: Dii, qui caelos & terram non fecerunt, per-
cant de terra, & de his, quæ sub caelo sunt. Qui facit terram
in fortitudine suâ, preparat orbem in sapientiâ suâ, & pru-
dentiâ suâ extendit caelos.*

vii. Creata verò omnia sunt ex nihilo, quâ lo-
quendi formulâ non materia, ex quâ mundus primò
factus sit innuitur, sed negatur. Rom. iv. 17. *Deus vocat ea
quæ*

non sunt, solum exprimit

que

quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Esa. xli. 24. Ecce, vos estis ex nihilo, & opus vestrum ex eo, quod non est.

viii. Non tamen in instanti, nec ab æterno, sed <sup>Ecl. xviii, i non attingit firmi-
tar temporis, d. filii vici
lx.</sup> in tempore, spatio sex dierum, quin nec ab æterno esse, aut ex nihilo produci potuit. Gen. ii. 1. 2. Perfecti sunt cæli & terra, & omnis exercitus eorum. Complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requievit die septimo ab universo opere, quod pararat. Prov. viii. 22. seqq. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio. Ab æterno constituta sum, & ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego genita eram: necdum fontes aquarum eruperant. Necdum montes gravi mole constiterant, ante omnes colles ego genita sum.

ix. Inter illa opera meritò aquæ supra firmamentum cæli collocatæ, seu supra cælestes recensentur, inferioribus quoad essentiam homogeneæ. Gen. i. 6. 7. Dixit Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ erant super firmamentum. Psal. civ. 2. Extendens cælum, sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus. Psal. cxlviij. 4. 5. Laudate eum cæli cælorum, & aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini. ^{Firm. cog. e. laud. Dei.}

x. De cælo autem empyræo, ut hodie à nonnullis male feriatis describitur, neque Scriptura quicquam novit, nec recta ratio. Gen. i. 1. In principio creavit Deus cælum & terram. i. Pet. iii. 12. 13. Per adventum Domini cæli ardentes solventur, & clementia ignis ardore liquefcent. Novos verò cælos & novam terram, secundum promissa ipsius expectamus.

xi. Et

*Pater meo usq[ue] adhuc erat
et. n. 4. 121, 2. n. d. d. d. d.*

XI. Et sicut Deus ab initio res omnes creavit, ita adhuc etiam providentiâ suâ, ut in esse illo perdurent, efficit, & ad finem cuique proprium dirigit, imò providentiâ Dei & conservatio rerum creatarû à parte rei nihil aliud est, quàm creatio quædam continuata. Act. XVII. 25. 28. *Deus dat omnibus vitam, & inspirationem, & omnia. In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus.*

XII. Nec tantùm omnia in esse suo conservat, sed etiam cum causis secundis ad earum actiones producendas immediatè concurrit, tam immediatione suppositi, quàm virtutis. Job. X. 8. seqq. *Manus tuæ plas-
maverunt me, & fecerunt me totum in circuitu. -- Memento
quæso, quòd sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me.
Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum, me cogulasti? Pelle
& carnibus induisti me, ossibus & nervis compegisti me.*

XIII. Malum verò morale seu peccatum, quod hodie affatim reperitur in mundo, nec voluit, nec fecit, nec ad illud, quâ tale, concurrit, cùm impossibile sit, ut ille, qui ipsa justitia & rectitudo est, ullius injustitiæ aut peccati vel auctor, vel approbator ullatenus esse possit. Psal. V. 5. 7. *Non DEUS volens iniquitatem tu es. -- Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.*

minus.

COMPENDII THEOLOGICI

DISPUTATIO VII.

DE ANGELIS.

PRÆSIDE

JOHANNES MEISNERO,

S. S. Theol. D. & Prof. P.

RESPONDENTE

ANDREA LOHMANN, Itzehoâ-Hofsato.

Thef. I.

Nobilissimæ creaturæ ^{ma} sunt Angeli, quorum existentiæ, dotes, facultates, differentiæ & officia ex solâ revelatione divinâ certò cognoscuntur. Hebr. I. 7. *Qui facit Angelos suos Spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Matt. XXII. 30. *In resurrectione (homines) neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in cælo.*

II. Et quanquam ipse etiam Filius Dei quandoque Angelus appelletur; quanquam item in corpore & figurâ extrinsecus assumptâ nonnunquam in V. T. apparuerit, non creatus tamen, sed increatus Angelus est, nec per tales apparitiones divinitati ejus quicquam detrahitur. Esa. LXIII. *Angelus faciei Jehovæ salvavit eos, in dilectione suâ & in indulgentiâ suâ ipse redemit eos, & portavit eos, & elevavit eos cunctis diebus seculi.* Mal.

III. 1. 2. *Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos queritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus & exercituum. Et quis poterit sustinere diem adventus ejus?*

III. Quando & quo die creati sint, indubitato non constat, id tamen certum est, non ab æterno, sed in

D

tem-

tempore esse productos, nec ante, sed unâ cum hoc mundo aspectabili. Gen. II. 1. *Perfecti sunt cœli & terra, & omnis exercitus eorum.*

IV. Sunt autem substantiæ spirituales, finitæ, omnis corporeæ molis & corruptionis ^{corporeæ} expertes. Hebr. I. 7. *Qui facit Angelos suos Spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Luc. XX. 34. seqq. *Filij hujus seculi nubunt & traduntur ad nuptias: Illi verò, qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neq; ducent uxores: neque ultra mori poterunt, æquales enim angelis sunt.*

V. Nec tantùm rerum cognitione & intelligentiâ, imprimis circa res naturaliter cognoscibiles, maximâ præditi, sed etiam virtute agendi egregiâ instructi. Marc. XIII. 32. *De die illâ vel horâ nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.* Psal. CIII. 20. 21. *Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus. Benedicite Domino omnes exercitus ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.*

VI. Angeli boni in concreatâ bonitate ita confirmati sunt, ut imposterùm eâ excidere & labi non possint. Matt. XVIII 10. *Angeli puerorum in cœlis semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est.*

VII. Idq; ex merâ gratiâ Dei, ultra condignum munificentissima præmia tribuentis, sine ullo interveniente vel proprio, vel ipsius Christi merito, qui eorum semen nunquam assumpsit. Hebr. II. 16. *Nusquam angelos assumpsit, sed semen Abrahe apprehendit.*

VIII. Et propter eandem causam, nec electi, nec redempti propriè dici possunt, imprimis etiam, quòd termino à quo, & mediis ordinariè ad salutem necessariis destituantur. Rom. VIII. 30. *Quod Deus prædestinavit,*

vit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit. II. Timoth. I. 9. Deus nos liberavit, & vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu, ante tempora secularia.

IX. Et quanquam ordo aliquis & distinctio inter angelos bonos meritò statuatur, cum & apud Diabolos reperiatur, quæ tamen de tribus hierarchiis earumq; distinctis ordinibus, in quarum primâ sint Seraphini, Cherubini & Throni; in alterâ Dominiones, Virtutes & Potestates; in tertia denique Principatus, Archangeli & Angeli, afferuntur, oppidò incerta sunt. Apoc. XII. 7. Factum est prælium magnum in cælo: Michael & angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnat & angeli ejus. Matt. XXV. 42. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Hebr. I. 14. Nonne omnes (Angeli) sunt administratorij spiritus, in ministerium emissi propter eos, qui hereditatem capient salutis?

X. Ministerium eorum quo & olim functi sunt, & adhuc funguntur, multiplex quidem est, tum respectu Dei, tum hominum in omnibus hierarchiis, sed de orbium cælestium circumrotatione in Scripturâ nihil habetur. Dan. VII. 10. Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. Es. LX. 27. Levate in excelsum oculos vestros, & videte, quis creavit hæc? qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat.

XI. Nec ^{magis} minus id certum & indubitatum est, singulorum fidelium custodiæ angelos destinatos esse, non æquè, an singulis singuli custodes appositi. Luc. XVI. 22. Factum est, ut moveretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahe. Psal. XCI. II. Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Act. XII. 14. seqq. Ut co-

gnovit (Rhode) vocem Petri, pra gaudio non aperuit januam, sed intrò currens, nunciavit, stare Petrum ante januam. At illi dixerunt ad eam: Insanis, illa autem affirmabat sic se habere. Illi autem dicebant: Angelus ejus est.

XII. Nullatenus interim vel ut largitores, vel ut intercessores adorandi, aut divino cultu pro custodia illà afficiendi sunt, sive ille $\delta\gamma\lambda\epsilon\acute{\iota}\alpha$ sive $\lambda\alpha\tau\rho\epsilon\acute{\iota}\alpha$ vocetur. Matt. IV. 10. *Dominum DEUM tuum adorabis, & illi soli servies.*

XIII. Multò minus novæ & extraordinariæ Angelorum revelationes aut de rebus ad religionem pertinentibus, aut futuris rerum eventibus, Ecclesiæ ac imperiorum singulorumq; hominum statu petendæ aut expectandæ sunt. Gal. 1. 8. *Licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam, quod Evangelizavimus vobis, anathema sit.* Heb. 1. 2. *Multifariam, multisq; modis olim DEUS loquens patribus in Prophetis, novissimis autem diebus istis locutus est nobis in filio.*

XIV. Inter Angelos initiò æqualiter bonos & sanctos conditos nonnulli à Creatore suo & bonitate cōcreata liberrima voluntate desciverunt, ac æternæ damnationi obnoxii facti sunt. Joh. VIII. 14. *Diabolus homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.*

XV. Neque ullam deinceps veniæ spem habent. Jud. V. 6. *DEUS Angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit.*

XVI. Et licet Diaboli potentia hodie magna sit, licet etiam admirabiles præstigias & effectus edere possit, miracula tamen propriè dicta nec ipse facere potest, nec Deus hanc suam gloriam spiritibus immundis communicare vult. Psal. LXXII. 18. *Benedictus Dominus DEUS, DEUS Israel, qui facit mirabilia solus.*

COMPENDII THEOLOGICI

DISPUTATIO IX.

DE

HOMINE ET IMAGINE DEI.

PRÆSIDE

JOHANNES MEISNERO,

S. S. Theol. D. & Prof. P.

RESPONDENTE

M. CHRISTIANO HABERLANDER/

WITTEBERGENSI.

Thes. I.

Creaturarum altera nobilior species, eaq; visibilis, est homo, duabus partibus essentialibus, animâ rationali & corpore organico, constans. Gen. II. 7. *Formavit Dominus DEUS hominem de limo terra, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* Eccles. XII. 7. *Revertitur pulvis in terram unde erat & Spiritus redit ad DEUM, qui dedit illum.*

II. Anima est Spiritus, cujus beneficio homo ratiocinatur, vivit & sentit, ita primùm à Deo creatus, ut mori nequeat, sed corpori suo maneat superstes. Matt. x. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.*

III. Primi hominis anima immediatè fuit à Deo creata, Evæ autem, sicut & reliquorum hominum nec creantur hodiè, nec ut corpus, aut animæ brutorum ex suis parentibus gignuntur, sed per traducem propagantur Gen. I. 28. *Masculum & fœminam creavit, benedixitq; illis Deus & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram.*

D 3

IV. Ac-

iv. Acceperunt autem protoplasti, tam foemina, quam masculus, in primâ statim creatione præter essentialia proprietates justitiam & integritatem originalem. Gen. i. 27. *Et creavit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, ad imaginem Dei creavit illum masculum & foeminam creavit eos.*

v. Atq; hæc propriè nec in essentiâ animæ, prout ea spiritualis est, & intelligentiâ ac libertate voluntatis prædita; nec substantiâ hominis, sed facultatum ejusdem, tam superiorum, quam inferiorum, omniumq; virium rectitudine ac perfectione posita erat. Eph. iv. 23. 24. *Renovamini Spiritu mentis vestrae, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitiâ & sanctitate veritatis.*

vi. Consistebat autem primò respectu animæ, partim in perfectâ & naturæ hominis convenienti, longè tamen perfectiori, quam in nobis est, aut esse potest, Dei & creaturarum, rerumq; naturalium, in servitium & usum hominis conditarum, cognitione. Col. iii. 10. *Induite novum hominem, qui renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus, qui creavit eum.* Gen. ii. 20. *Appellavit Adam nominibus suis cuncta animantia, & universa volatilia cœli, & omnes bestias terre.* Et v. 23. 24. *Dixit Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhaerebit uxori suæ. Et erunt duo in carne una.*

vii. Partim in justitia & sanctitate, voluntati divinæ conformi, quâ homo naturaliter ad bonū propendebat, Deumq; supra omnia diligere, & exactè legem tum naturæ insculptam, tum ei superadditam, liberè observare poterat. Eph. iv. 24. *Renovamini Spiritu mentis*

tis

tis vestra, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis. Gen. VIII. 1. Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt, ab adolescentiâ suâ.

II. Deinde respectu corporis in impassibilitate, & à cœli, aëris, tempestatum injuriis, omnique aliâ noxâ, unde sequi potest corruptio, immunitate. Gen. II. 25. Erat uterque nudus, Adam scilicet & uxor ejus, & non erubescabant.

III. Tandem respectu totius compositi, tum in immortalitate & absentia causarum mortis Physicarum, tam externarum, quam internarum, si in primavâ integritate persisteret. Gen. II. 17. Quocunq; die comederis ex ligno scientiæ boni & mali, morte morieris. Rom. VI, 23. Stipendium peccati mors est.

IV. Tum Domino in cætera animantia, quæ sponte dicto audientia erant. Gen. I. 26. Facimus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis universq; terræ, omniq; reptili, quod movetur in terra. Et V. 28. Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animalibus, quæ moventur super terram. Gen. II. 16. Dominus Deus formatis de humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam.

V. Atque hæc imago Dei, seu dotes homini concreatæ, non erant supernaturales, hoc est, naturæ perfectæ superadditæ & puris naturalibus contradistinctæ, sed naturalis hominis perfectio, qualis est sanitas. Rom. II. 14. 15. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.

VI. Nec ideo homini concessa, ut ipse solus eam,

tan-

tanquam personale aliquod donum, haberet, sed ut per ipsum, sicut nunc post lapsum peccatum, ad totam posteritatem propagaretur. Gen. 1. 24. *Benedixit Deus Adamo & Eva (in statu integritatis) & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Cap. ix. 1. *Benedixit q̄ Deus (post lapsum) Noe & filius ejus, & dixit ad eos: Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Rom. v. 12. *Sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

xiii. Quin hoc etiam ad primi hominis felicitatem pertinebat, quod in Paradiso, vel ut domicilio regiaq; sede collocatus, sine omni labore, molestia & cura Creatori suo vacare poterat. Gen. 1. 15. *Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradysum voluptatis, ut operaretur, ut custodiret illum.* Cap. iii. 23. 24. *Emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram de qua sumptus est. Ejecit q̄ Adam, & collocavit ante paradysum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendum viam ligni vitæ.*

xiv. Qui tamen per aquas diluvii sine omni dubio devastatus est. Gen. vii. 17. seqq. *Factum est diluvium quadraginta diebus super terram, & multiplicatae sunt aquae, & elevarunt arcam in sublime à terra. -- Et aquae prevaluerunt nimis super terram, operitiq; sunt omnes montes excelsi sub universo caelo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat.*

COMPENDII THEOLOGICI

DISPUTATIO IX.

DE LAPSU PRIMI HOMINIS

EJUSQUE PECCATO ORIGINALI

ET ACTUALI.

PRÆSIDE

JOHANNE MEISNERO,

S. S. Theol. D. & Prof. P.

RESPONDENTE

M. JOHANNE *Wittholt*/Itzehoâ Holsato.

THES. I.

Primus homo in concreatâ integritate non diu perstitit, sed præceptum divinum liberè transgressus, gustato fructu vetito, in peccatum incidit. Gen. III. 6. *Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile, & tulit de fructu illius & comedit, deditq; viro suo, qui comedit.*

II. Quod factum est partim propter suggestionem & persuasionem Diaboli, diffidentiam & infidelitatem de Dei mandato, indeq; subnatam superbiam ipsi instillantem, à qua tamen liberè dissentire poterat; partim propter hominis dubitationem de mente divinâ, desiderium cognoscendi & apprehendendi, & ex hoc ortam apprehensionem fructus vetiti, sine ullâ Dei vel morali vel Physicâ determinatione & influxu in voluntatem humanam. Gen. II. 17. *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris, Cap. III. I. seqq. Serpens dixit ad mulierem: Etiamne præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradisi? Cui respondit mulier: De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, vescimur: De fructu verò ligni, quod est in*

E

medio

medio Paradisi, praecepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quod, in quacumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Deus, scientes bonum & malum. Vidit igitur mulier &c.

III. Unde non tantum pristinam excellentiam & iustitiam originalem amisit, verum etiam animi caecitatem, voluntatis depravationem, affectuum repugnantiam, corporis debilitatem, mortem, laborandi & pariendi difficultatem, aliaque mala, tam corporis, quam animae sibi accersivit. Gen. III. 7. 8. *Et aperti sunt oculi amborum. Cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizonata. Et cum audissent vocem Domini Dei, de ambulantis in paradiso, ad auram, post meridiem, abscondit se Adam & uxor ejus a facie Domini Dei in medio ligni paradisi. Et v. 16. seqq. Mulieri dixit Deus: Multiplicabo aerumnas tuas, & conceptos tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tibi. Adae vero dixit: quia audisti vocem uxoris tuae, & comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi, ne comederes: maledicta terra in opere tuo, cum molestia comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae. Spinis & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terrae. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

IV. Et sicut Adam universi generis humani personam sustinebat, utpote caput & origo ejus, ita, dum ipse peccavit, & iustitiam primaevam amisit, tum sibi, tum aliis omnibus ex se nascituris eam perdidit. I. Cor. II. 14. *Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter dijudicatur. Eph IV. 23. 24. Renovamini spiritu mentis vestrae, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.*

v. Sicut

v. Sicut item imaginem Dei ad posteros propagare debebat, ita eandem specie corruptionem & pravitatem originalem in eosdem per generationem carnalem propagavit. Gen. i. 27. 28. *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, benedixitq; illis & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Cap. v. 3. *Vixit Adam centum triginta annis, & genuit filium ad imaginem & similitudinem suam.* Joh. iii. 6. *Quod natum est ex carne, caro est.*

vi. Quæ non nudus reatus, aut exemplo & imitatione à nobis contractum, sed veri nominis peccatum est, à peccato actuali tum materiâ, tum formâ distinctum, temporalis & æternæ mortis reatum secum trahens. Rom. v. 12. *Sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Cap. vii. 7. *Peccatum non cognovi, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.*

vii. A quo peccato ejusq; reatu nemo mortalium, nec mater Domini, nec Jeremias Propheta, aut Johannes Baptista, nec Infantes, nisi solus Christus, excipitur. Rom. v. 18. 19. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam justi constituentur multi.* II. Thess. i. 8. *Deus in flamma ignis dabit vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi.* Hebr. vii. 26. *Tales decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.*

viii. Ipsa interim hominis substantia nō est, sed accidēs intimè & arctissimè naturæ humanæ in hærens. Rō. vii. 20. *Non ego operor illud, sed, quod habitat in me, peccatum. Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi*

quæ sūt à Bonaventura
ram & Francisco, opus
piant, vide l. i. de
Gerl. p. 45. p.

malū adjacet. Hebr. II. 14. Quia pueri cōmunicaverunt carni
& sanguini, & ipse (Christus) similiter participavit eisdem.

IX. Ex hac radice & labe originali omnia peccata actualia, tanquā fructus ex malā arbore ^{of / originis / mali} oriuntur & dependent. Matt. xv. 19. De corde exeunt cogitationes mala, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia.

X. Est autem peccatum actuale omnis inclinatio vel actio tam externa, quā interna, circa objectum theoreticum & practicum, contra legem divinam commissa. I. Joh. III. 4. Peccatum est iniquitas (ἀνομία, exorbitatio à lege) Rom. III. 20. Per legem est cognitio peccati.

XI. Et in se ac naturā suā mortē & damnationē æternam meretur, nec veniale fit, nisi ab accidente extrinseco. Deut. xxvi. 27. Maledictus, qui nō permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit, & dicit omnis populus, Amen. Matt. v. 19. Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.

XII. Nec tale esse desinit, etiam si deliberatā voluntate commissum non sit. Psal. xix. 13. delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. Rom. VII. 19. Non quod volo bonū, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago.

XIII. Quanquam autem nullū peccatum suā intrinsicā malitia irremissibile sit, secus Christus pro eo non satisfacisset, neq; hæc satisfactio ei applicabilis foret; fit tamē ex parte subjecti irremissibilis finalis perseverantia in negando, blasphemando, oppugnando & persequendo veritatem agnitā, contra dictamen conscientiaē antea à Spiritu S. illustratæ. Hebr. VI. 4. seq. impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cælestē, & participes facti sunt Spiritus S. & gustaverunt bonum Dei verbum, virtutesq; venturi seculi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.

COMPENDII THEOLOGICI

DISPUTATIO X.

DE VIRIBUS LIBERI ARBITRII

ET CONVERSIONE HOMINIS

PECCATORIS.

PRÆSIDE

JOHANNES MEISNERO,

S. S. Theol. D. & Prof. P.

RESPONDENTE

M. GERHARDO Mohrmann / Hamburgensi.

Thes. I.

Nullum dubium est hominem post lapsum nasci servum & obnoxium peccato, eiq; actu ipso etiam inservire, antequam convertatur. Joh. iix. 34. *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* II. Pet. ii. 19. *Sunt servi corruptionis, à quo enim superatus est, hujus & servus est.*

II. Unde nec intelligere bonum supernaturale, nec velle & appetere, illud potest, nec ullas vires naturales possidet, quibus vel ad Deum converti, vel conversionem suam ullo modo aut inchoare aut perficere, aut promovere, seque ad eam præparare queat. Eph. ii. 1. seqq. *Et vos cum essetis mortui delictis & peccatis, in quibus aliquando ambulastis secundum seculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris hujus spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiae, in quibus & nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostrae, facientes voluntatem carnis, & cogitationum, & eramus natura filij irae, sicut & ceteri.* I. Cor. ii. 14. *Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter judicatur.*

E 3

III. Sed

III. Sed quicquid agit malum est: Non quod illud aut coactè aut sponte h. e. naturali & irrationali impetu faciat, aut ab influxu divino ad alterutrum oppositorum necessariò determinetur, sed quia indifferentia & libertate ipsâ in actionibus spiritualibus destituitur. Rom. vi. 20. *Cum servi essetis peccati, liberi (exertes) fuistis iustitiæ.* Gen. vi. 5. *Omne figmentum cogitationum cordis humani tantummodò malum est omnibus diebus.* Jac. i. 13. *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur. Deus enim non est tentator ad malum, ipse autem neminem tentat.*

IV. Quanquam enim in operibus naturalibus & civilibus, qualia sunt artes vitæ huic necessariae, & liberales disciplinae, quæ per gratiam Christi partæ non sunt, & libertas & ad ea perficienda vires naturales superfint, nec voluntas ab ultimo iudicio rationis practicæ determinetur. 1. Cor. vii. 37. seqq. *Qui statuit in corde suo firmos, non habens necessitatem, potestatem autem habent suæ voluntatis, & hoc iudicaverit in corde suo servare, virginem suam benè facit. Igitur & qui matrimonio jungit virginem suam, benè facit, qui autem non jungit melius facit.*

V. Quanquam item ea, quæ moraliter quodammodo bona aut mala sunt, liberè & nulla necessitate coactus agat, secus nec illa laudem, nec ista culpam merentur, imò universum discrimen honestorum & turpium, virtutum & vitiorum tollatur. Rom. ii. 14. seqq. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia & inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium.*

VI. Quanquam denique Deum legemq; divinam naturaliter cognoscere, & facere, quæ illa jubet, quatenus possit. Rom. i. 19. seqq. *Quod notum est Dei manifeste*

fe.

festum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius à creaturâ mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ita ut sint inexcusabiles. Et v. 32. Qui cum justitiam Dei cognovissent, quoniam, qui talia agunt, digni sunt morte, non solum ea faciunt, sed etiam consentiunt facientibus.

VII. Itemque verbum Dei audire, legere, meditari, idq; non sine voluptate aut ~~de~~ ^{de} ~~g~~ ^g ~~o~~ ^o ~~v~~ ^v ~~o~~ ^o ~~l~~ ^l ~~u~~ ^u ~~p~~ ^u ~~t~~ ^u ~~a~~ ^u ~~t~~ ^u aliqua. Marc. vi. 21. Herodes metuebat Johannem, sciens, eum virum justum & sanctum, & observabat eum & audito eo, multa faciebat, & libenter eum audiebat. Rom. x. 2. Testimonium perhibeo illis, quod emulationem quidem Dei habent, sed non secundum scientiam.

VIII. Attamen nec veritates naturales, tam theoreticas quam practicas, sine omni errore cognoscere, nec actiones civiles sine cespitatione perficere potest, nisi præter influxum Dei generalem aliquo divino auxilio speciali adjuvetur Prov. xx. 24. A Domino diriguntur gressus viri: quis autem hominum intelligere potest vitam suam? Jerem. x. 23. Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est, ut ambulet, & dirigat gressus suos. Sap. ix. 14. feqq. Ratiocinationes mortalium sunt timida, & incerta cogitationes eorum. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Vix conjicimus ea. Quæ in terra sunt, & quæ ad manus sunt, laboriose invenimus. Quæ autem in cælis sunt, quis investigabit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris SPIRITUM SANCTUM tuum de altissimis?

IX. Neque actiones morales sine gratia Dei, per solas vires naturales ita fieri possunt, ut aut ipsæ ex omni circumstantiâ bonæ sint, & non speciem potius bonorum operum habeant, quam reverâ talia sint, aut

aut omnia præcepta naturalia & moralia serventur, & contraria peccata omnia evitentur, omnesq; tentationes, quæ nos ad peccandum sollicitant, superentur. Rom. III. 10. seq. *Non est justus, ne unus quidem, non est intelligens: non est requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usq; ad unum.* Et cap. I. 15. seqq. *Commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & servierunt creaturæ potius, quam creatori, -- fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum, qui est contra naturam.*

X. Nec actiones pædagogicæ externæ & naturalis illa Dei legisque divinæ notitia vel ad salutem sufficiunt, vel quenquam eò perducunt. Rom. I. 21. seqq. *Gentiles cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim, se esse sapientes, stulti facti sunt.*

XI. Nec denique homo rectè credere, nec ad Deum converti, nec quicquam aliud, quod ad æternam salutem pertinet, ex sese, & per naturales vires ullâ ex parte vel inchoare vel perficere, vel Spiritui Sancto cooperari potest, sed tantummodò merè passivè sese habet. Eph. II. 5. *Cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos in CHRISTO.*

XII. Tota igitur conversio nostra solius prævenientis & operantis divinæ gratiæ opus est. Phil. I. 13. *Deus est, qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bonâ voluntate.*

XIII. Cui tamen homines resistere & conversionem suam impedire possunt. Act. VII. 51. *Dura cervice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis.*

COMPENDII THEOLOGICI

DISPUTATIO XI.

DE

PERSONA ET OFFICIO CHRISTI.

PRÆSIDE

JOHANNES MEISNERO,

S. S. Theol. D. & Prof. P.

RESPONDENTE

M. DANIELE VISMARO,

Nycopiâ-Dano,

Thes. I.

Cum per peccatum primorum parentum omnes homines morti & damnationi æternæ obnoxii facti sint, Deus ipse ex admirabili benignitate suâ nostri misertus reconciliationis medium h. e. Incarnationē Christi, ejusq; opera, tum satisfactoria tum meritoria, primus excogitavit, per quæ non tantum justitiæ divinæ satis fieret, sed etiam aditus ad Dei gratiam & vitam æternam recluderetur. Joh. III 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* I. Joh. IV. 9. 10. *In hoc aparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.*

II. Quod medium quidem ad delenda peccata nostra absolutè necessarium non fuit, ac si Deus nullum aliud invenire, nec alia, quàm secunda persona SS. Trinitatis mitti potuisset; verum supposito peccato, ju-

F

sticiâ

note tres pag.

Dominam suam: Utinam fuisset Dominus meus ad Prophetam, qui est in Samaria, profecto curasset eum à lepra, quam habet.

iv. Sed postquam Christus in carnem venit, & opere redemptionis in eâ perfectò in cœlos rediit, per Apostolos virosq; Apostolicos in totum terrarum orbem emissos denuò Evangelium inter omnes gentes disseminatum est. Rom. x. 18. *Nunquid non audierunt? Equidem in omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum. Col. 1. 6. Evangelium pervenit ad vos, sicut & in universo mundo est. Et v. 23. Evangelium predicatum est in universa creatura, quæ sub cœlo est.*

v. Quod verò nonnulli hodie tali vocatione destituuntur, id non ideò fit, quod aut ipsi ex absoluto decreto damnati sint, aut verbum Dei ejusque notitia ipsi denegata, sed propter evitabilem tum ipsorum, tum parentum & majorum contemptum. Es. v. 5. *Ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ. Auferam sepem ejus, & erit in direptionem: Diruam maceriem ejus, & erit in conculcationem. Et ponam eam desertam, non putabitur & non fodietur, & ascendent supra eam vepres & spina, & nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem. Rom. 1. 1. Gentiles cum cognovissent Deum non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum.*

vi. Remanet tamen in omnibus hominibus ratione utentibus, & iis locis, ubi semel Evangelium prædicatum est, partim lumen naturæ, & conclusiones inde deductæ, partim fama de Christo, quâ mediante ad veram Dei Ecclesiã perducì possunt & debent. Act. xvii. 26. 27. *Deus definit statuta tempora & terminos habitationis hominũ, ut quarant Deum, si forte attrectent eũ, aut inveniant, quamvis non longè sit ab unoquoq; nostrum. Rom. 1. 8. Fides vestra*

annuus.

annunciatur in universo mundo. i. Theff. i. 8. A vobis diffamatus est sermo Domini non solum in Macedonia & in Achaia, sed in omni loco fides vestra, quae est ad Deum, profecta est.

vii. Omnis a. Prædicatio salutaris hodie per verbum fit, sive lectum sive prædicatum. Rom. x. 14. 15. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo a. audient sine prædicante? Et v. 17. Fides ex auditu, auditus a. per verbum DEI.*

viii. Et comprehenditur Lege & Evangelio, ex quibus illa terret & ad Christum manuducit, hoc eundem promittit, ostendit, offert & exhibet. Gal. iii. 10. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Et v. 24. Lex paedagogus noster fuit in Christum, ut ex fide justificemur.*

ix. Lex divina communiter dividitur in Moralē, Ceremonialem & Forensē. Deut. vi. 1. *Hæc sunt præcepta & Ceremoniae atque judicia, quae mandavit Dominus Deus vester.*

x. Ceremonialis & forensis unà cum politiâ Israeliticâ jamdudum per Christum abrogata est. Dan. ix. 27. *In dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium. Col. ii. 16. Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomenia aut Sabbatorum, quae sunt umbra futurorum.*

xi. Moralitatis a., ut in creatione primùm omnibus hominibus indita est, & postea sæpius repetita ac declarata, ita adhuc omnes ad perfectissimam obedientiam obligat. Rom. iii. 31. *Legem ergò destruimus per fidem? Absit. Sed legem stabilimus. Matt. xxi. 1. 37. seq. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum.*

xii. Interim à nemine perfectè in hac vita impleri, nec per eam salvari quisquam potest. Gal. iii. 21. *Si data esset lex, quae posset vivificare, verè ex lege esset iustitia. Act. xv. 10. Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum,*

x. Deinde *sacerdotale*, quo totâ vitâ suâ, præcipuè tamen passione & morte iræ Dei satis fecit, nosq; à peccato & æternâ damnatione liberavit. Esa. LIII. 4. seqq. *Verè languores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portavit, & nos putavimus eum quasi leprosum & percussum à Deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.*

xI. Quæ satisfactio pro omnibus hominibus omnibusq; peccatis & eorum pœnis præstita est, omnibusque applicari debuit, Col. I. 19. seqq. *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipso, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. I. Joh. I. 7. Sanguis Jesu Christi filij DEI, emundat nos ab omni peccato.*

xII. Neque interim tamen rigori justitiæ divinæ æquivalens pretium pro peccatis totius generis humani unicâ guttulâ exhiberi potuit, sed pro fluvio sanguinis, ipsaq; filii Dei morte expiatio fieri debuit. Heb. IX. 15. seq. *Ideò Novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente redemptionem earum prævaricationû, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hereditatis. Ubi enim testamentû est, mors necesse (ἀνάγκη) est intercedat testatoris. Matt. III. 15. Sic decet nos implere omnem justitiam. Luc. XXIV. 26. Nonne hæc oportuit (ἔδει) pati Christum, & intrare in gloriam suam.*

xIII. Sed & idem quoque assiduè pro nobis apud patrem intercedit, Rom. IX. 34. *Christus est ad dextram Dei quietiam interpellat pro nobis.*

xIV. Tandem *Regium*, quo in his terris univèrsum mundum, imprimis verò Ecclesiam suam gubernat, & in extremo die totum orbem judicabit. Apoc. XVII. 14.

Hic cum agno pugnabunt, & agnus vincet illos, quoniam Dominus Dominorum est, & rex regum.

COMPENDII THEOLOGICI

DISPUTATIO XII.

DE VOCATIONE PER LEGEM

ET EVANGELUM.

PRÆSIDE

JOHANNES MEISNERO,

S. S. Theol. D. & Prof. P.

RESPONDENTE

M. CASPARO PASSELIO Olsnâ - Silesio

Thef. I.

Sicut Deus omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire vult; ita eo fine statim ab initio mundi verbum & voluntatem suam iis manifestavit. Gen. vi. 3. *Non judicabit spiritus meus in homine in æternum, quæ caro est.* Judæ. v. 14. *Prophetavit de his septimus ab Adam, Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis.* II. Pet. II. 5. *Deus octavum Noë, justitiæ præconem, custodivit, diluvium mundo impiorum inducens.*

II. Cum verò Patriarcharum posteritas in idololatriam & impietatem prolapsa essent, justissimo judicio solennem hanc prædicationem ei subtraxit, relicto apud solos fermè Israelitas vero ejus cultu. Psal. CXLVII. 19. 20. *Qui annunciat verbum suum Jacob, justitias & judicia sua Israel. Non fecit taliter omninationi, & judicia sua non manifestavit eis.*

III. Nec tamen reliquæ gentes omni prædicatione sen propriâ sen analogicâ destitute fuerunt: Unde semper aliqui ex iis ad verum Deum conversi sunt. I. Reg. x. 1. *Regina saba, auditâ famâ Salomonis de nomine Domini venit tentare ei in enigmatibus.* II. Reg. v. 2. 3. *Captivâ de terrâ Israel puella parvula, quæ erat in obsequio uxoris Naaman ait ad*

stitiã & veritate divinã, hoc omnium fuit convenien-
tissimum. Ebr. IX. 22. *Sine sanguinis effusione non fit remissio.*
Gen. II. 17. *Quocunq; die comederis ex ligno scientiã boni &
mali, morte morieris.* Act. IV. 12. *Non est in aliquo alio salus, nec
aliud nomen (alius modus) sub cœlo datum hominibus, in quo
oporteat (conveniat) nos salvos fieri.*

III. Consistit tamen Incarnatio in eo, quod filius
Dei, unã cum Patre & Spiritu S. carnem humanam in
utero Mariã formavit, eamq; solus in unitatem perso-
nã suã ἀδιαπέτως, ἀτρέπτως, ἡγιὰ ἀσυγχύτως assumpsit. Luc.
I. 35. *Spiritus S. superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit
tibi. Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius
Dei.* Joh. I. 14. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.
Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à Patre, ple-
nam gratiã & veritatis.*

IV. Unde non tantum naturã, verum etiam natu-
rarum proprietates verè & realiter de se invicem par-
ticipant, sine ullã tamen confusione aut permixtio-
ne; nec tantum ambæ naturæ, sed omnes insuper pro-
prietates de personã illa in concreto efferuntur. Heb.
II. 14. *Quia pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse
similiter participavit eisdem.* Rom. IX 5. *Christus est ex patri-
bus, secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in
secula, amen.*

V. Prædicantur verò in primo genere communi-
cationis idiomatum proprietates utriusq; naturæ de
toto supposito, ab alterutrã naturã denominato. I.
Tim. III. 16. *Sine controversia magnum est pietatis mysterium,
quod Deus manifestatus est in carne, -- assumptus in gloriam.*
I. Cor. II. 8. *Si cognovissent (sapientiam Dei principes se-
cuti) nunquam Dominum gloriã crucifixissent.*

VI. In secundo genere efferuntur honores, opera
& proprietates divinæ naturæ, quæ sine contradictio-
ne

ne communicari potuerunt, de naturâ humanâ. Joh. II. 35. *Ipsè Jèsus non credebat semetipsum eis, eò quòd ipse nosset omnes.* Col. II. 3. *In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Et v. 9 *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*

VII. Harum plenarium usum tamen, dum in his terris versaretur, usque ad mortem, retraxit, quem nunc in statu Exaltationis plenissimè exerit. Phil. II. 6. seqq. *Christus cum in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. --- Propter quod & DEUS exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jèsu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & inferorum.*

IX. In tertio deniq; genere operationes ad officium redemptionis pertinentes earumq; exercitium de totâ personâ & utraq; ejus natura, ipsâ naturarum & operationum distinctione non sublatâ, prædicantur. Matt. XVII. 5. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Act. XX. 28. *Deus Ecclesiam acquisivit proprio sanguine* Luc. II. 11. *Natus est vobis hodie SALVATOR, qui est CHRISISTUS DOMINUS, in civitate DAVID.* Matt. XXIII. 19. *Daia est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ.*

IX. Est autem officium ejus triplex. I. *Propheticum*, quo non tantum multa futura ipsasque cogitationes hominum novit & prædixit, sed etiam voluntatem Patris revelavit, doctrinam & cultum divinum magnâ ex parte collapsum, multisq; corruptelis contaminatum restauravit, nobisq; viam ad salutem demonstravit. Deut. XIX. 15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies.* Et v. 18. 19. *Prophetã suscitabo illis de medio fratrum suorũ, similem tui: & ponam verba mea in ore ejus loqueturq; ad eos omnia, quæ præaspero illi. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.*

x. Dein-

lorum, quod neq; patres nostri, neq; nos portare potuimus?

xiii. Evangelium a. est doctrina legi contradistincta, eaq; prorsus gratuita, de remissione peccatorum per & propter Christum impetranda. Rom. iii. 27. *Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? factorum? Non: sed per legem fidei.* Luc. iv. 18. *Spiritus Domini super me, eò quod unxit me: evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, predicare captivis remissionem & caecis visum, dimittere confractos in remissionem, predicare annum Dni. acceptum, & diem retributionis.*

xiv. Quæ nec natura nota est, sed ex solâ revelatione supernaturali filii Dei innotescit. Joh. i. 18. *Deum nemo vidit unquam, unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit.* i. Cor. ii. 6. seqq. *Sapientiam loquimur inter perfectos, Sapientiam verò non hujus seculi, neque principium hujus seculi, qui destruuntur; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus seculi cognovit. -- Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.*

xv. Nec obedientiam legalem, sive ex viribus naturæ, sive auxilio gratiæ præstandam, à nobis requirit; unde nec concio pœnitentiæ aut doctrina operum, sed gratiæ dici debet. Rom. iii. 20. seqq. *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim agnitio peccati. Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege & Prophetis. Iustitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum.*

xvi. Promissiones n. ejusdem, sicut universales sunt ad omnes homines directæ, ita gratiæ, sine ulla conditione legali. Tit. iii. 5. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti.*

xvii. Nec tantum in N. sed etiã V. Test. Utrobiq; n. unum & idem Evangelium est. Act. xv. 11. *Per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi.*

COMPENDII THEOLOGICI

DISPUTATIO XIII.

DE

CONVERSIONE HOMINIS AD DEUM.

PRÆSIDE

JOHANNES MEISNERO,

S. S. Theol. D. & Prof. P.

RESPONDENTE

CHRISTIANO Schmieden/ Dano-
Pomerano.

Thes. I.

UT vitæ æternæ hæreditatem consequatur homo, necesse est eum per verbum & gratiam Spiritus S. ab infidelitate & peccatis ad Deum converti. Luc. XIII. 3. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.*

II. Quæ conversio nullatenus nostrarum virium opus est, sive ex toto, sive ex parte, tam quoad initium, conatum ac propositum credendi ac faciendi bonum, quàm ejus incrementum. 11. Cor. III. 5. *Non sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est.* Rom. VIII. 7. *Prudentia carnis inimica est DEO; legi enim DEI non est subjecta, nec enim potest.*

III. Sed quicquid ullo modo, etiam minimum, ad eam requiritur, id à speciali Dei gratiâ, & Spiritu sancto dependet, qui omne desiderium, conatum & voluntatem nostram semper prævertit, largiendo vires, ut credamus, & convertamur. Phil. II. 13. *DEUS est, qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bonâ voluntate.* Apoc. III. 20. *Ecce, sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vo-*

G

cera

cem meam, & aperueris mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.

iv. Operatur autem conversionem non immediate sed per verbum lectum, prædicatum, aut aliis modis mediisq; supernaturalibus instillatum. Gen. xii. i. *Dixit Dominus ad Abraham: Egredere de terra tua, & de cognatione tuâ, & domo patris tui, & veni in terram, quam monstravero tibi.* Rom. x. 17. *Fides est ex auditu, auditus autem per verbum DEI.*

v. Non ita efficaciter tamen, ut necessitatem ullam nobis imponat credendi & faciendi, quæ ille requirit, h. e. ut non possimus non converti, nec divinæ gratiæ ejusq; operationi resistere, aut consilium Dei aspernari & repudiare, vel frustra recipere. Joh. v. 34. 40. *Hæc dico, ut vos salvifiatis. --- sed non vultis venire ad me, ut viam habeatis.* Act. vii. 51. *Vos semper Spiritu sancto resistitis; sicut patres vestri, ita & vos.*

vi. Nec ita denique, ut cum per gratiam Dei jam conversi & justificati sumus, vicissim ea excidere, & deficere nequeamus. Luc. viii. 13. *Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Rom. xi. 22. *Vide in te bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris.*

vii. Partes ejus duæ sunt: Contritio seu agnitio & detestatio peccati; Et fides in gratiam & meritum Christi locata. Marc. i. 15. *Appropinquavit regnum Dei: pœnitementi & credite Evangelio.*

viii. Ex quibus Contritio non ex naturali displicentiâ turpitudinis, sed per legem divinam, nec ex naturæ viribus, sed à Spiritu sancto excitatur. Rom. iii. 20. *Per legem est agnitio peccati.* Esa. xxxviii. 13. *Sicut leo contrivit omnia ossa mea.*

ix. Quæ tamen nihil meretur, sive ex congruo sive
con-

condigno, nec medium propriè dictum est, sed pars ordinis, quem Deus in conversione observare voluit. Esa. LXVI. 2. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Matt. IX. 12. *Non est opus medico valentibus, sed malè habentibus.*

X. Per fidem solam verò obtinetur remissio peccatorum, eorumque omnium, tam quoad culpam, quam pœnam peccato debitam, temporalem æquè ac æternam. Act. XXVI. 18. *Ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos per fidem, quæ est in me.*

XI. Quæ pœnitentibus ordinariè annunciari, & conferri potest per quemlibet Ecclesiæ ministrum. Joh. XX. 22. seqq. *Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* 1. Tim. IV. 16. *Attende tibi & doctrinæ, persta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt.*

XII. Et de hac remissione peccatorum impetratâ unusquisque fidelium tum ex sensu & præstantiâ fidei, tum Spiritus sancti testimonio potest & debet esse certissimus, certitudine fidei, cui falsum subesse non possit. Rom. V. 1. 2. *Justificati ex fide pacem habemus ad DEUM per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum DEI.* Cap. VIII. 16. *Ipsè Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quòd sumus filii DEI.* 1. Joh. V. 10. *Qui credit in Filium DEI, habet testimonium DEI in se.*

XIII. Opera verò, seu pietatis & novæ obedientiæ studium, etsi omnibus per fidem conversis & justificatis necessarium sit, conversionem tamen ipsam nec præcedit, nec ejus pars est, sed tanquam fructus sequitur. Matt. VII. 17. *Omnis arbor bona fructus bonos facit.* Gal. V. 22. *Fructus Spiritus est charitas, gaudiū, pax, patientia, be-*

*nignitas, bonitas, longanimitas. — — Qui autem sunt
CHRISTI carnem suam crucifixerunt, cum vitiis & concupi-
scentiis.*

xiv. Confessio auricularis omnium & singulorum
peccatorum non est necessaria, nec ratione medii, nec
præcepti divini, nec sui ipsius, quin nec possibilis, sed
mera est carnificina conscientiarum. Actor II. 37. seqq.
*His additis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad
reliquos Apostolos: Quid faciemus, viri fratres?*

xv. Satisfactio quoque, & opera laboriosa, sive
sponte suscepta, sive ab aliis imposita, quibus DEO in
hac aut futurâ vitâ, vel ipsi satisfaciamus pro culpâ
aut pœnâ, vel CHRISTI meritum & satisfactionem
apprehendamus nobisque applicemus, perfectissimæ
Christi satisfactioni, pro omnibus peccatis tam origi-
nali, quàm actualibus, eorumq; pœnis temporalibus
& æternis præstitæ, derogant. Esa. LIII. 4. seqq. *Verè lan-
guores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.*

xvi. Nec ullus restat indulgentiarum thesaurus, ex
superabundantibus Christi meritis, & passionibus re-
liquus, qui pro pœnæ temporalis remissione, aut mi-
tigatione, vel immediatè per pontificem in Jubilæo,
vel per emissarios tam fidelibus viventibus, quàm a-
nimabus defunctis erogari & applicari queat. Rom.
III. 25. 26. *CHRISTUM proposuit DEUS propitiatorem per
fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, per remissio-
nem præcedentium delictorum, in tolerantia DEI, ad ostensio-
nem justitiæ ejus in hoc tempore.* Matth. III. 15.

*Sic decet nos implere omnem
justitiam.*

COMPENDII THEOLOGICI

DISPUTATIO XIV.

DE

SACRAMENTIS V. ET N. T. ET IN SPECIE DE BAPTISMO.

PRÆSIDE

JOHANNES MEISNERO,

S. S. Theol. D. & Prof. P.

RESPONDENTE

M. ABRAHAM ab ASPERN,

Hamburg.

THESIS. I.

Inter causas reparationis nostræ meritò quoq; sacramenta computantur, ex quibus duo V. & totidē N. T. propria sunt. Col. II. II. seqq. *Circumcisi estis, circumcissione nō manu facta, in expoliatione corporis peccatorum carnis, sed in circumcissione Jesu Christi, consepulti ei in baptismo.* 1. Cor. V. 7. *Pascua nostrum pro nobis immolatus est Christus.*

II. Quæ differunt inter se tum formā propriā seu actione, tum materiā terrenā & cœlesti, quā hęc physicè præsentem exhibent, illa sub typis & figuris, Mat. XXVI. 18. *Hic est Sanguis meus N. Test. qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Hebr. X. 1. *Umbram habuit lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.*

III. Circumcisio erat Sacramentum initiationis V. T. quo masculis Israelitarum die octavo præputium amputabatur, & per hanc ceremoniam fides in venturum Messiam conferebatur & applicabatur. Gen. XVII. 7. seqq. *Statuam pactum meum inter me & te, ut sim Deus tuus & seminis tui post te.* --- *Hoc autem est pactum meum*

G 3

quod

*quod observabitis. Circumcidetur ex vobis omne masculum,
& circumcidetis carnem preputii vestri.*

iv. Pascha verò erat Sacramentum confirmationis, quo agnus immaculatus die xiv. primi mensis mactatus & assatus in memoriam liberationis Ægyptiacæ ab Israelitis manducabatur, ad applicandam & obli- gnandam promissionem de spiritali liberatione per Christum præstanda. Exod. xii. 3. seqq. *Decima die mensis primitollat unusquisque agnum, per familias & domos suas. - Et edent carnes agni, nocte illa assasigni, & azymos panes, cum lactucis agrestibus.*

v. Primum N. T. Sacramentum est Baptismus, ad æternam salutem capeffendam summè necessarius, nisi accedat casus humanæ curæ & industriæ inevita- bilis. Joh. iii. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.*

vi. Cujus sicut & aliorum Sacramentorum pro- priè dictorum omnium, causa efficiens principalis, præcipiens & instituens nemo mortalium, nullave Ecclesia esse potest, sed solus Deus & Christus *Ἰεσὺς Χριστός*, Joh. i. 33. *Qui misit me baptizare in aquâ, ille mihi dixit.* Matt. xxviii. 18. seq. *Accedens Jesus locutus est discipulis, di- cens: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terrâ. Euntes ergò, docete omnes gentes, baptizantes.*

vii. Hunc Christus initiò per Johannem, deinde per Apostolos, nunc verò non nisi per ministros ab Ec- clesiâ vocatos ordinario modo administratum vult: extraordinariè tamen in casu mortis laici quoque & mulieres validè administrare possunt. i. Cor. iv. i. *Sic nos æstimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysterio- rum Dei.* Exod. iv. 25. *Tulit illicò Sephora acutissimam petram, & circumcidit preputium filij sui.*

ix. Nec

ix. Nec minus validus est, si ab improbo, hæretico, aut aliud intendente & in animo habente Ministro exhibeatur, dummodò secundùm Christi institutionem & quoad essentialia integer administratus fuerit. Matt. xxiii. 2. seq. *Super cathedram Moysi sederunt Scribae & Pharisei, omnia ergò, quaecunq; dixerint vobis servate & facite.*

ix. Materia ejus terrena est elementum aquæ veræ & naturalis, sive ex fonte, sive fluvio petita, quæ cum alio liquore aut misceri & corrumpi, aut prorsus mutari & aboleri non debet. Matt. iii. 11. *Ego baptizo vos in aquâ in pœnitentiam.* Eph. v. 25. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vite.*

x. Cœlestis verò & invisibilis, quæ cum illâ sacramentaliter unitur, offertur & exhibetur, est tota SS. Trinitas, & peculiari modo Spiritus Sanctus. Matt. xxviii. 19. *Baptizate in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti.* Joh. iii. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum cœlorum.*

xi. Ratione formæ consistit in actione sacra & solemni, quæ absolvitur tum actu lavandi aut aspergendi præcipuam corporis partem, tum in vocatione SS. Trinitatis & pronuntiatione verborum: *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti.* Matt. xxix. 19. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti.*

xii. Finis & effectus ejus ordinarius est hominis regeneratio & renovatio, quam non tantùm significat & obsignat, sed præterea etiam, ut medium à Deo ordinatum, re ipsa efficit & confert. Tit. iii. 5. *Secundùm misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti.*

xiii. Un-

xiii. Unde infantes baptizati verè seu actu credunt, etsi motus fidei, nec ipsi, nec alii intelligant. Gal. iii. 27. *Quicumq; in Christũ Jesum baptizati estis, Christum induistis.* Matt. xvi. ii. 6. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt expedit ei ut suspendatur mzola asinaria de collo ejus, & demergatur in profundum maris.*

xiv. Nequaquam tamen radix peccati & prava concupiscentia, in Baptismo tollitur & extirpatur. Rom. vii. 7. *Peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex dixisset, non concupisces.*

xv. Subjectum recipiens nihil irrationale aut brutum, aut inanimum quid esse potest, sed solæ creaturæ perfectæ, animatæ rationales, sine ullo ætatum sexuumq; discrimine. Marc. x. 14. *Sinite parvulos venire adue, & ne probibueritis eos, talium est enim regnum caelorum.* Matt. xxviii. 19. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos.*

xvi. Exorcismus, quo de miserâ humanâ per lapsum introducta, usu item & efficacia Baptismi testamur, uti ceremonia est longè antiquissima, ita hodie quoque liberè in Ecclesia observari potest. Gal. ii. 3. seqq. *Sed neq; Titus, qui mecum erat, cum esset gentilis, compulsus est circumcidi: sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in CHRISTO JESU, ut nos in servitutem redigerent.*

Quibus neque ad horam cessimus subjectione.

COMPENDII THEOLOGICI

DISPUTATIO XV.

DE

SS. COENA DOMINI.

PRÆSIDE

JOHANNES MEISNERO,

S. S. Theol. D. & Prof. P.

RESPONDENTE

CHRISTIANO OMUTH, Dantiscò-
Boruffo.

Thes. I.

Dominus & Servator noster Jesus Christus, *Ἰεσῦς
Χριστός*, ex ineffabili erga nos amore, tremendum
mysterium corporis & sanguinis sui jamjam moritu-
rus instituit, cujus verba omnia, quibus institutione
uti voluit in sensu proprio, nativo, & ut sonant, acci-
pienda sunt, quamvis ita accepta novum, insolitum
& inauditum enuncient. *I. Tim. vi. 3. Si quis aliter docet,
& non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri JESU CHRI-
STI, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ, superbus est,
nihil sciens. II. Cor. x. 5. Destruimus omnem altitudinem ex-
tollentem se adversus scientiam DEI, & in captivitatem redi-
gimus omnem intellectum, in obsequium CHRISTI.*

*II. Non tantum verò instituit, sed primus etiam
manibus suis Apostolis porrexit, & adhuc hodie, quan-
do & ubi Cœna legitimè administratur, corpus & san-
guinem suum manducantibus & bibentibus distribu-
it. I. Cor. xi. 23. Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis.
Matt. xxviii. 20. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usq̃
ad consummationem sæculi.*

H

III. Quod

III. Quod quidem per solos ordinarios & legitimè vocatos ministros, non per alios, privatos aut laicos, fieri debet. Matt. xxviii. 19. *Euntes docete & baptizate.* I. Cor. iv. 1. *Sic nos aestimet homo, ut ministros CHRISTI, & dispensatores mysteriorum DEI.*

IV. Res seu materia terrena, quæ exhibetur, ab una parte est panis verus & naturalis, ab alterâ vinum sine ullâ additione, admixtione aut corruptione. Mat. xxvi. 26. seqq. *Cœnantibus eis, accepit JESUS panem --- Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. --- Dico autem vobis, non bibam amodò de hoc genere vitis.*

V. Accidentarium interim est panem azymum esse vel fermentatum, rotundæ vel quadratæ vel oblongæ figuræ, vinum rubrum vel album, manè vel vesper, à jejunis vel pransis sumptum. Marc. xiv. 2. *Manducantibus illis accepit JESUS panem. --- Et accepto calice gratias agens, dedit eis.*

VI. Neque ut panis eucharisticus in partes frangatur, & per talem fractionem CHRISTI passio representetur, necessarium est, sed sufficit, si quomodocunque in partes dissectus manducantibus distribuatur. I. Cor. xi. 23. seq. *Dominus JESUS, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit & dixit: Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur.*

VII. Neque sufficit, nec institutioni & præcepto Christi conforme est, nec perfectum & integrum Sacramentum, sed imperfectum & mutilum præbetur, si sub unâ specie, subtracto laicis calice, & cum eo Christi sanguine, indeq; pendente fructu spirituali, distribuatur, sed quanta est necessitas sumendi panem eucharisticum, tanta quoque necessitas est sumendi calicem.

cem. 1. Cor. xi. 24. seqq. *Accipite & manducate, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine. Hoc facite. Mat. xxvi. 27. seqq. Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus Novi Test. qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.*

VIII. Res seu materia cœlestis est verum Christi corpus pro nobis fractum, hoc est, laceratum, vulneratum, & in mortem traditum: & sanguis ejus effusus, verè & secundum ipsam substantiam præsentia: unde quando, ubi & quo organo editur panis, editur quoque corpus, quando, ubi & quo organo bibitur vinum, bibitur quoque sanguis, sine ullâ magicâ transubstantiatione, vel locali inclusione, alligatione aut commixtione, vel interventu descensus aut ascensus, modo sacramentali, sed nobis planè incomprehensibili. Matth. xxvi. 26. seqq. *Accipite & comedite, hoc est corpus meum. --- Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti. 1. Cor. x. 16. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis CHRISTI est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?*

IX. Forma consistit in benedictione panis & vini, benedictorumq; exhibitione & sumptione, absque quâ si fuerit, nec corpus & sanguis Christi cum elementis terrenis unitur, nec ullum Sacramentum est. Marc. xiv. 22. seqq. *Manducantibus illis accepit Jesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Edite, hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens, dedit eis. Et biberunt ex illo omnes.*

X. Nullatenus verò per talem actionem corpus Christi

Christi tanquam sacrificium propitiatorium & satisfactorium, pro culpâ & pœnâ, Deo patri incruento modo offertur, nec potest fructus ejus applicari aliis non communicantibus, seu vivis seu mortuis. Hebr. IX. 12. *Non per sanguinem taurorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aternâ redemptione inventâ.* Luc. XXII. 19. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis (edentibus) datur. -- Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis (bibentibus) fundetur.*

XI. Subjectum enim adæquatum, cui hoc Sacramentum institutum est, sunt homines vivi, Baptisati, in Ecclesiâ viventes, & adulti, qui se probare possunt. I. Cor. XI. 28. *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.*

XII. Ex quibus omnes convivæ, etiam indigni, totam substantiam ejus, seu corpus & sanguinem Christi accipiunt. I. Cor. XI. 27. *Quicumque manducaverit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Et v. 29. *Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.*

XIII. Salutaris autem fructûs non nisi fideles per veram fidem participes fiunt. Matt. XXVI. 28. *Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.*



COMPENDII THEOLOGICI

DISPUTATIO XVI.

DE

JUSTIFICATIONE ET BONIS
OPERIBUS.

PRÆSIDE

JOHANNNE MEISNERO,

S. S. Theol. D. & Prof. P.

RESPONDENTE

M. CHRISTOPHORO BOHEMO,

Radebergense Misnico.

Thes. I.

Verbum justificandi, cum de Deo nos justificante u-
surpatur, usum habet forensem, & significat ju-
stum aliquem pronunciare ab intentato crimine e-
jusq; pœna absolvere, & in statum gratiæ restituere.
Prov. xvii. 15. *Qui justificat impium, & qui condemnat ju-
stum, abominabilis est uterq; apud Deum.* Rom. viii. 33. seqq.
*Quis accusabit adversus electos Dei? Deus est, qui justificat,
Quis est, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, imò
qui & resurrexit, qui & est ad dexteram Dei, qui etiam inter-
pellat pro nobis.*

II. Et hoc non hominis, per opera sua semet justi-
ficantis; sed Dei opus est, qui solus ex injusto facit ju-
stum, & ex inimicis amicos & hæredes vitæ æternæ.
Rom. iii. 30. *Unus est Deus, qui justificabit circumcissionem ex
fide, & præputium per fidem.*

MR. Non justificat a. nos Deus propter ullum nostrum

H 3

opus

opus, sive per vires naturæ tantum, sive per Dei gratiam factum, nec propter meritum sive congrui sive condigni, sed gratis tantum per suam gratiam. Rom. III, 20. 23. seq. *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. -- Omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei, justificati gratis per gratiam ipsius.*

IV. Idque propter meritum Domini nostri Jesu Christi, qui morte & passione suâ, Deo nobis reconciliato, ad pristinam gratiam ac vitam æternam aditum referavit. Rom. III. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ipsius.* Eph. I. 7. *In Christo habemus redemptionem, per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.*

V. Cujus participes reddimur per fidem, non disponentem aut præparantem ad justificationem consequendam, sed per modum instrumenti apprehendentem & applicantem sibi Christi meritum. Rom. IV. 3. *Credidit Abraham Deum, & reputatum est illi ad justitiam.* Cap. IX. 30. *Quid ergo dicemus, quod gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam? justitiam autem quæ ex fide est.*

VI. Consistit verò fides tum in doctrinæ cœlitus revelatæ explicatâ notitiâ & firmo ei adhibitu assensu, tum etiam & cum primis fiduciali apprehensione & promissionis DEI specialis, quâ verè pœnitentibus propter Christum remissionem peccatorum ac æternam salutem pollicetur. Joh. XVII. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti, Jesum Christum.* Heb. X. 22. *Accedamus cum vero corde, in plenitudine*
ne

ne (certitudine) fidei. Cap. XII. Est autem fides sperandarum substantiarum rerum argumentum non apparentium.

VII. Quæ fides in actu justificationis sola spectatur, nullo ullius legis, sive ceremonialis, sive moralis, per vires naturæ vel auxilio divinæ gratiæ facto opere concurrente. Rom. III. 27. seqq. Ubi est ergo gloriatio tua? exclusæ est. Per quam legem? Factorum? Non, sed per legem fidei. Arbitramur enim, justificari hominem per fidem sine operibus legis. Gal. II. 16. Scientes autem, quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi? & nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro.

VIII. Quanquam enim certum modum & ordinem, seu actus in fide & justificatione conferenda prævios Deus esse voluerit, nullatenus tamen per aut propter istos actus justificamur, nec illi de condigno aut congruo quicquam meretur, nec hominis, sed divinæ gratiæ opera sunt. Rom. IV. 4. 5. Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.

IX. Tum autem Deus hominem formaliter justificat, cum peccata propter Christi satisfactionem remittit seu non imputat, justitiam autem Christi, quam ipse non habet, imputat. Rom. IV. 6. 7. 8. David dicit: Beatitude hominis, cui Deus imputat justitiam sine operibus. Beati, quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum. II. Cor. V. 19. 1. Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum. -- Eum enim, qui non noverat

ras

rat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.

x. Et cum hac justificatione bonorum operum studium seu pietas & nova obedientia arctissimo nexu cohæret, adeò ut ubi hæc non consequitur, ibi illam quoque aut non adesse, aut nunquam fuisse probabile sit. Rom. vi. 1. seqq. *Quid ergò dicemus? Manebimus in peccato ut gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? --- Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus Jac. ii. 17. seqq. Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Sed dicet quis: Tu fidem habes, & ego opera habeo: Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.*

xi. Neque interim tamen bona opera sive legis sive Evangelii naturæ aut gratiæ, ad justificationem aut salutem æternam acquirendam, conservandam aut confirmandam, sive ut causa & meritum propriè dictum, sive ut medium, sive ut via aut conditio præcedens necessaria sunt. Eph. ii. 8. seqq. *Gratia estis salvati, per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu, ad opera bona, quæ preparavit Deus, ut in illis ambulemus.*

COMPENDII THEOLOGICI

DISPUTATIO XVII.

DE

PRÆDESTINATIONE AD VI-
TAM ÆTERNAM.

PRÆSIDE

JOHANNES MEISNERO,

S. S. Theol. D. & Prof. P.

RESPONDENTE

M. FRANCISCO HENRICO RICHTERO,

Neo-Stetin-Pomeranò.

THES. I.

Sicut Deus ab æterno decrevit prius homines vocare, convertere, justificare & sanctificare, quàm salvare; ita eodem ordine decretum illud in tempore exequitur: quare explicatâ doctrinâ de reparatione hominis, tum demum de prædestinatione ad gloriam rectissimè agitur. Rom. VIII. 30. seq. *Quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit.*

II. Prædestinationis vox in Scripturâ notat decretum seu destinationem hominum ad vitam æternam, nunquam verò ad damnationem. Eph. I. 4. 5. *Elegit nos in Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitatem. Qui prædestinavit in adoptionem filiorum, per JESUM CHRISTUM, in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ.*

III. Neque prædestinari aut eligi propriè dicimur ad gratiam Dei & beneficia ejus, per quæ homo ad salutem perducitur, cum iis excidere possimus, ac præ-

I

tereâ

tereà reprobis quoque sint communia, sed ad ipsam gloriam. Matth. XXII. 14. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* I. Cor. IX, 24. *Nescitis quod hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit præmium? sic currite, ut comprehendatis.*

iv. Idq; post prævisas lapsus miserias, quibus Deus extrinsecus permotus tum Redemptorem humani generis mittere, tum ex illà miserià omnes eripere decrevit. Eph. II 6. seqq. *Cum essemus mortui peccatis conuiuifuit, in Christo, (cujus gratià estis salvati) & conresuscitavit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu.*

v. Non tamen miseretur propter opera, nec absolute, sine ullo ad fidem vel incredulitatem hominis respectu, sed servatà certà conditione & ordine, quem ipse solus sanxit, & an in homine inueniatur, ab æterno prævidit. Rom. VIII. 29. *Quos præseruit & prædestinavit conformes fieri imaginis sui.*

vi. Consistit verò ordo ille & conditio in eo, ut nemo salvetur, nisi qui Evangelium de Christo redemptore annunciatum, & gratiam Dei per & unà cum Evangelio oblatam & collatam verà fide amplectitur, & in eo ad vitæ finem usq; perseverat; nemo contra pereat, nisi qui gratiam Dei, per Christum partam, petulanter repudiat. Eph. I. 3. seqq. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo: sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus.*

vii. Et quemadmodum Deus in æternitate, qui ordini à se constituto acquietari essent, qui non prævidit, ita in illà æternitate alios ad vitam æternam elegit, alios reprobavit. Ephes. I. 4. *Elegit nos ante mundi consti-*

constitutionem. II. Timoth. I. 9. *Deus nos liberavit, & vocavit vocatione suâ sanctâ, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo JESU ante tempora secularia.*

VIII. Objectum prædestinationis propriè neque Christus, nec Angeli boni sunt, cum requisitis ad prædestinationem necessariis, qualia sunt, terminus à quo seu peccatum, & ad quem, hoc est, destinatio ad æternam gloriam per certa media impetrandam, destituantur. Eph. I. 4. 9. seqq. *DEUS elegit nos in Christo ante constitutionem mundi, ut essemus sancti & immaculati. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum, per Jesum Christum, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.* Hebr. II. 15. 16. *Christus liberat eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. Nusquam enim Angelos assumpsit, sed semen Abrahæ apprehendit.*

IX. Sed soli homines, non tamen ut creandi adhuc, vel creati quidem, sed nondum lapsi, verùm in miseriâ, in quam seipso per peccatum præcipitaverunt, constituti. Matth. XVIII. 11. *Venit filius hominis servare, quod perierat.*

X. Qui verò semel propriè electi sunt, illi ob decretum & præscientiam Dei, cui electorum numerus certò cognitus est, suâ electione rursus excidere non possunt. Joh. X. 28. *Ego vitam æternam do ovibus, & non peribunt in æternum, & nemo potest rapere de manu patris mei.* II. Tim. II. 19. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognovit Dominus, qui sunt ejus.*

XI. Ut verò aliorum electionem, de quorum fide & verâ pietate certò nobis non constat, ignoremus, de seipso tamen unusquisque indubitato scire potest ac debet,

debet, quòd sit prædestinatus. II. Pet. I. 10. *Fratres satagite, ut certam vestram vocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.* Rom. VIII. 38. seqq. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neq; Angeli, poterunt nos separare à charitate Dei, quæ est in CHRISTO JESU Domino nostro.*

XII. Sicut autem electio, ita & reprobatio ordinata est, nec quisquam ex absoluto Dei decreto vel præteritus, vel à beatitudine æternâ, vel mediis eam adipiscendi necessariis exclusus, & pœnis nunquam terminandis addictus est. Rom. XIV. 15. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* II. Pet. III. 9. *Deus patienter agit propter eos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.*

XIII. Sed quod pauci, non omnes homines, æternam beatitudinem ingrediuntur causa est ipsorum hominum improbitas & malitia, dum ordinem à Deo sancitum petulanter contemnunt. Rom. II. 5. *Secundum duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicij Dei.* Joh. III. 36. *Qui incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira DEI manet super eum.*



COMPENDII THEOLOGICI

DISPUTATIO XVIII.

DE

ECCLESIA ET MINISTERIO ECCLESIASTICO.

PRÆSIDE

JOHANNNE MEISNERO,

S. S. Theol. D. & Prof. P.

RESPONDENTE

GEORGIO WERCKMEISTERO,

Mindâ-Westphalo.

Thes. I.

Ecclēsia nec vi vocis, nec usu Scripturarum, principaliter aut solitariè & exclusivè, notat unicum hominem, qui dicitur Papa, sed totum cœtum fidelium, qui comprehendit doctores & auditores, eosq; vel omnes per universum orbem terrarum dispersos, quæ aliàs Ecclesia universalis appellatur, vel unius loci, provinciæ, Urbis aut familiæ, & hæc particularis est. Act. xv. 4. *Cum venissent Hierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesiâ, & ab Apostolis & senioribus.* Et v. 22. seqq. *Placuit Apostolis & senioribus, cum omni Ecclesia, -- scribentes per manus eorum: Apostoli, & seniores & fratres: Matt. xviii. 15. seqq. Si peccaverit in te frater tuus, vade & corrige eum, inter te, & ipsum solum, -- si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos. -- Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ.*

II. Est autem Ecclesia militans N. T. propriè dicta, congregatio hominum sanctorum, Christo capiti ad-

hærentium, de eadem fide salvifica in articulis fundamentalibus, tam quod professionem externam, quam assensum & fiduciam, ac charitate mutuâ participantium, ubicunque terrarum existant. Eph. iv. 3. seqq. *Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum corpus & unus spiritus, sicut & vocati estis in unâ spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptismum, unus Deus, & pater omnium. Cap. v. 23. seqq. Vir caput est mulieris, sicut & Christus caput est Ecclesiæ, & ipse Salvator corporis sui.*

III. Et hæc propriè invisibilis est, cum nec fides, nec omnes in universo orbe fideles simul videri, aut à nobis certò dignosci queant. II. Tim. II. 19. *Cognovit Dominus, qui sunt ejus. I. Reg. xix. 10. Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus. -- Et v. 19. Ego reliqui tibi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.*

IV. Quia verò alii quoque, mali & hypocritæ, externâ professione fidei, & usu sacramentorum iis aggregantur, hinc & illi Ecclesiæ membra, sed putrida, & Ecclesia ipsa visibilis vocatur. Luc. III. 17. *Purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni in extingvibili. II. Tim. II. 20. In magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & quedam quidem in honorem, quedam autem in contumeliam.*

V. Notæ externæ, quibus ab Ecclesiâ falsâ probabiliter discernitur, duæ sunt, prædicatio verbi seu externa fidei professio, & usus Sacramentorum à Christo institutorum, quæ tamen ab Ecclesia tolli possunt, & à tyrannis nonnunquam impediuntur, ut ipsa oculis corporis videri, & deprehendi non possit. Matt. xxviii.

19. Eun-

19. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.*

VI. Sed Ecclesia particularis quævis veritatem salvificam etiam in articulis fidei fundamentalibus, amittere, errare ac deficere potest; universalis non item, nisi fortè in rebus, ad fidem minimè pertinentibus. Matt. XVI. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & portæ inferni non prævalebunt adversus eam.* Cap. XXVIII. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi.*

VII. Ad hanc Ecclesiam fundandam & gubernandam Christus primùm Apostolos suos in universum orbem emisit, ac postea in eorum locum alios peculiare Doctores & pastores instituit. Marc. XVI. 15. *Dixit eis: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creature.* Eph. IV. 11. *Ipsè dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem pastores & Doctores.*

VIII. Et qui hodie docere volunt, legitimè à Deo vocati esse debent, non quidem immediatè, ut olim Apostoli, sed per totam Ecclesiam particularem consentientibus omnibus ejus statibus. Rom. X. 15. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Act. VI. 3. *Considerate, fratres viros ex vobis boni testimonij, --- quos constituamus super hoc opus.*

IX. Inter quos etsi detur diversitas ordinis & honoris, ut alii sint superiores, alii inferiores, ac versentur circa distincta objecta, magis vel minus ad conservationem corporis mystici utilia aut necessaria, eadem tamen omnibus competit potestas tum ordinis, hoc est, publicè docendi verbum Dei, & administrandi sacramenta, tum jurisdictionis seu absolvendi poenitentes,

tentes, seu ligandi & excommunicandi impœnitentes in doctrinâ & moribus. I. Cor. XII. 27. *Vos estis corpus Christi, & membra ex parte.* I. Tim. V. 17. *Qui benè præsumt præbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime, qui laborant in verbo & doctrinâ.* Joh. XX. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

X. Exercitium verò excommunicationis tam minoris, quàm majoris, sive peccator ab usu Cœnæ Dominicæ suspendatur, & à conventibus sacris arceatur, sive prorsus ab Ecclesia particulari ejiciatur, & satanæ tradatur, donec resipiscat, pluribus simul sumptis, non uni competit. I. Cor. V. 4. seqq. *Ego constitui congregatis vobis & meo spiritui tradere hujusmodi hominem (incestuosum) satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini JESU.*

XI. Multò minus dominatus & primatus alicujus monarchicæ potestatis in reliquos ministros, sive Ecclesiasticæ sive politicæ, spiritualis aut temporalis. Matt. XX. 25. *Principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent inter eos. Non ita erit inter vos.*

XII. Ipsi interim Clerici à potestate civilis Magistratûs nec quoad res, neque personas suas, in causis criminalibus jure divino exempti sunt, sed quæcunque privilegia hac in re illis concessa sunt, id jure humano positivo factum est. Rom. XIII. 1. *Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit.*

COMPENDII THEOLOGICI

DISPUTATIO XIX.

DE

MAGISTRATU POLITICO

PRÆSIDE

JOHANNES MEISNERO,

S. S. Theol. D. & Prof. P.

RESPONDENTE

M. ABRAHAMO SCHULTETO,

Vetschoviâ-Lufato.

Thes. I. sicut a. sic Magistratus abstractivè.

Regimen politicum seu potestas quædam superiorum in inferiores, & horum vicissim erga illos reverentia cum homine & universitatis hujus primordiis cepit. 1. Cor. xi. 3. *Volo vos scire, quod omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris, vir. Et v. 7. seqq. Vir non debet velare caput suum, quoniam imago & gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum.*

II. Ac nec hodie quidem, postquam totus orbis ad fidem Christianam conversus est, etiam in Ecclesia, eâ carere possumus. Rom. xiii. 1. *Omnia anima potestatibus supereminentibus subdita sit.* 1. Tim. ii. 1. seqq. *Hortor primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & honestate.*

III. Primum ejus fundamentum à Deo ipso arces-

K

sen-

*realy in/antent de Politia
ol, ordine Politico, ad fin
li hic finit. Serb. T. 7. 232*

*In statu Innocentia non f
set hominæ despoticæ & f
vili subjectione, cum repugn
tia voluntatis & melius p
tant hie dicit
1) non fuit, d. g. p. p. p.
2) no thotie, d. Ant. thotie
3) Angidini n. d. Ant. thotie
4) ubi de Juragone dicit
Fuit in statu Innocentia
1) valde incerta, non fuit soluta
2) fuit dicit, non fuit
3) fuit dicit, non fuit
4) fuit dicit, non fuit*

sendum est, à quo, tanquam auctore & reparatore naturæ humanæ omnis magistratus, tam pius quam impius & infidelis, ortum suum trahit. Rom. XIII. 1. 2. *Non est potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt.* Joh. XIX. II. *Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset de super.*

IV. Non quidem mediante populo aut Pontifice Romano, à quo ea deinceps in alios dimanarit, sed immediatè & eâ ratione, quâ status Ecclesiasticus, & Cõjugalis, ut nulla creatura in pari aut superiori causandi genere, neque ex principiis secum natis, ad ejus institutionem quicquã contulerit, etsi populus quandoque eandem inter duos vel plures dividere possit. Prov. VII. 15. seqq. *Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt. Per me Principes imperant.*

V. Idem quoque principes & reges plenâ & absolutâ potestate armavit, ut soluti legibus humanis earumq; potestate coactivâ, bonis ac corporibus subditorum, urgente præcipuè Reipubl. necessitate, pro lubitu uti, nec ab his, ullo in casu, in ordinem cogi, aut clam palamq; armatâ manu de solio deturbari ac interfici jure possint. I. Sam. VIII. II. seqq. *Hoc erit jus regis, qui imperaturus est vobis: Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietq; sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratorios agrorum suorum.* Rom. XIII. 2. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.*

VI. Potestate item judicia inter subditos exercendi, bonis præmia, malis pœnas & supplicia, pro delicti qualitate irrogandi. II. Par. XIX. 6. *Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis judicium, sed Domini, & quodcunque judi-*

judi-

judicaveritis, in vos redundabit. Gen. ix. 6. Quicumque effuderit humanum sanguinem, per hominem fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus est homo.

vii. Et quando præter jus & fas cives ab exteris violentur, nec de injuria illis satisfacit, nec ablata restituntur, vim vi prohibendi sive repellendi, armis etiã, si opus fuerit, vindicandi, bellum indicendi & gerendi. Rom. XIII. 4. 6. Dei minister est, vindex in iram, ei, qui male agit. -- Ideò enim & tributa præstatis. Ministri enim DEI sunt, in hoc ipsum servientes.

viii. Alios tamen, sibi non subditos, vi & armis invadere, aut veris Dominis, ut ethnicis & infidelibus, ideò tantum, quia infideles & barbari sunt, & peccata contra legem naturæ committunt, possessiones suas per vim eripere, nemini mortalium licet. Jerem. XXIX. 5. seqq. *Ædificate domos & habitate, & plantate hortos, & comedite fructum eorum. Accipite uxores, & generate filios & filias, & date filiis vestris uxores, & filias vestras date viris, & pariant filios & filias, & multiplicamini ibi, & nolite esse pauci numero. Et querite pacem civitatis, ad quam transigrare vos feci, & orate pro eâ ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis.*

ix. Non tantum autem Reipubl. sed ipsius etiam religionis & Sacrorum curam gerere debet, non quidem ut dogmata & Sacramenta condant, doceat & administret; quorum illud soli Dei, hoc solis Ecclesiæ ministris competit: Sed ut verum Dei cultum promoveat, quod fit, scholas fundando & conservando, ministros sive certas personas ad ministerium deputando, ineptos, indignos, & sive doctrinã sive moribus Ecclesiam offendentes & turbantes removendo, redditus Ecclesiasticos ordinando, Synodos convocando,

cum ratione et gratia.

do, hæreticos coercendo, ritus & ceremonias constituendo &c. Deut. xvii. 18. seq. *Postquam sederit Rex in solio regno sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, -- Et habebit secum, legetq; illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, Et custodire verba Et ceremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt.*

x. Sicut verò magistratus, etiam orthodoxus, neminem ad finem suam cogere potest aut debet, ita nec heterodoxam religionem aut introducere, aut tolerare, nisi extremo periculo Reipubl. & Ecclesiæ orthodoxæ, quod aliter præcaveri aut averti nequit, imminente. Apoc. ii. 14. seqq. *Habeo adversus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam. -- Habes Et doctrinam Nicolaitarum, pœnitentiam age, si quò minus, veniam tibi citò. Et v. 20. seqq. Habeo adversus te pauca, quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit prophetam, docere, Et seducere servos meos, fornicari, Et manducare de idolotbytis.*

xI. Sed hæreticos modis mediisq; legitimis, verbis, scriptis & gestibus, non tamen supplicio capitali, coercere. Matt. xiii. 30. *Sinite ea, (zizania & triticum) crescere usque ad messem.*

xII. Et quicumque fidem de vitæ incolumitate & libero aditu redituq; simul dedit, eam ipsi, quantumvis hæretico, exactè servare decet. Exod. xx. 7.

Non assumes nomen Domini Dei tui

in vanum.

COMPENDII THEOLOGICI

DISPUTATIO XX.

DE

STATU CONJUGALI.

PRÆSIDE

JOHANNES MEISNERO,

S. S. Theol. D. & Prof. P.

RESPONDENTE

M. CHRISTIANO LAURENTIO,

Dresdensi.

THESES I.

Conjugium peculiariter à Deo institutum est, & hominibus omnibus præceptum, ut qui & quamdiu singulari continentiae dono præditi non sunt, contrahant. Gen. II. 18. *Non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.* I. Cor. VII. 9. *Quod si non se continent, nubant, melius enim est nubere, quam uri.* II. Tim. V. 14. *seqq. Volo juniores: Viduas nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. Jam enim quadam conversa sunt retrò post satanam.*

II. Non tanquam Sacramentum seu medium ad impetrandam regenerationis, justificationis & sanctificationis gratiam ordinatum, sed ad liberorum procreationem, & fornicationem evitandam. Gen. I. 27. *seqq. Et creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum & feminam creavit eos. Benedixit q̄ illis Deus & ait: Crescite & multiplicamini & replete terram.* I. Cor. VII. 2. *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquaq̄ suum virum habeat.*

K 3

III. Un-

III. Unde nemo mortalium cuiquam ordini aut statui, etiam sacerdotali, vel conjugio contrahendo, vel usui jam contracti seu commercio cum legitimâ uxore interdicere, & uxores invitas ab invitis itidem maritis avellere debet. 1. Tim. II. 2. 4. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, -- suæ domui benè prepositum, filios habentem subditos cum omni castitate.* Cap. IV. 1. seqq. *In novissimis temporibus discedent quidem à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis demoniorum, -- prohibentium nubere, abstinere à cibis.*

IV. Requiritur autem ad legitimum matrimonium ante omnia Consensus, tum proprius personarum contrahentium, iisque explicitus, deliberatus & sine metu, dolo, aut errore circa personam & alia requisita matrimonium impediencia. Gen. XXIV. 57. seq. *Vocemus puellam, & queramus illius voluntatem. Cumq; vocata venisset, sciscitati sunt: Vis iri cum homine isto? Quæ ait: Vadam.* Deut. XXII. 13. seqq. *Si duxerit vir uxorem, & ingressus est ad eam, postea odio habuerit eam, quæ si veritq; occasiones, quibus dimittat eam, objiciens ei nomen pessimum, & dixerit, Uxorem hanc accepi, & ingressus ad eam, non inveni virginem - Quod si verum est, quod objicit, & non est in puella inventa virginitas, ejicient eam extra fores patris sui, & lapidibus obruent viri civitatis illius, & morietur.*

V. Tum parentum & eorum, in quorum potestate uterque contrahentium continetur. Ex. XX. 12. *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram.* Col. III. 20. *Filij, obedite parentibus per omnia, hoc enim beneplacitum est Domino.* Gen. XXIV. 0. seq. *Responderunt Laban atque Bethuel; A Domino egressus est sermo, non possumus extra placitum ejus quicquam aliud loqui tecum. En Rebecca co-*
ram

ram te est, tolle eam, & proficiscere, & sit uxor filij Domini tui.

VI. Personæ contrahentes duæ tantum sunt, mas & femina, perpetuo & indissolubili vinculo inter se unitæ. Gen. II. 24. seqq. *Relinquet homo patrem suum & matrem, & adharebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Matt. XIX. 4. seqq. *Qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos. Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adharebit uxori suæ, & erunt duo in carnem una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

VII. Nisi fortè successivè & post mortem prioris conjugis, tum enim neque bigami, neque polygami fuerint. Rom. VII. 2. seqq. *Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum altero viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.*

VIII. Oportet deinde personas esse habiles ad contrahendum, partim ratione ætatis & corporis ad generandum liberos idoneas, ne impediantur vel naturà, vel arte, vel casu. Matth. XIX. II seqq. *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: Et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum. Qui potest capere capiat.*

IX. Partim ratione familiarum, ne propter nimis propinquos consanguinitatis aut affinitatis gradus oriatur incestus, aut scandalum propter gradus lege positivâ prohibitos. Lev. XVII. 6. seqq. *Omniis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus; Ego Dominus Deus vester. Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies, mater tuæ est, non*
reve-

revelabis turpitudinem ejus. Rom. XIII. 5. Necessitate subdite-
stote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.

x. Dirimitur rursus matrimonium contractum &
consummatum, non tantum quo ad thorum & men-
sam, sed etiam vinculum, per divortium, idque præci-
puè propter adulterium tum simplex, tum duplicatū,
tum deniq; incestuosum. Matt. V. 32. *Omnis qui dimiserit
uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari:
& qui dimissam duxerit, adulterat.*

xi. Cui deinde accedit malitiosa desertio alteru-
trius conjugis, & quæ huic æquiparatur, implacabilis
sævities, unde indubiè vitæ periculum imminet. I.
Cor. VII. 15. *Quod si infidelis discedit, discedas, non enim ser-
vituti subjectus est frater, vel soror ejusmodi.*

xii. Votum autem perpetuæ continentiaë sive sim-
plex sive solenne fuerit, cum ipso jure nullum sit, nec
impedit matrimonium contrahendum, nec dirimit
contractum. I. Cor. VII. 3. 4. *Uxori vir debitum reddat.
similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem
non habet, sed vir, similiter autem & vir sui corporis potestatem
non habet, sed mulier. Et v. 35. seqq. Hoc ad utilitatem
vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id, quod bo-
nestum est, & quod facultatem præbeat, sine impedimento Do-
minum obsecrandi. Si quis autem turpem se existimat super
virgine sua, quod sit super adulta, & ita oportet fieri, quod vult,
faciat: non peccat, si nubat. Nam qui statuit in corde suo fir-
mus non habens necessitatem, potestatem autem habens, sue
voluntatis, & hæc judicaverit in corde suo,
servare virginem suam, benè
facit.*

COMPENDII THEOLOGICI

DISPUTATIO XXI.

DE

MORTE ET RESURRECTIONE
HOMINIS.

PRÆSIDE

JOHANNNE MEISNERO,

S. S. Theol. D. & Prof. P.

RESPONDENTE

CHRISTIANO HABERLANDER/

Wittebergensi.

Thes. I.

Mors hominis non in omnimodâ annihilatione
vel corporis vel animæ consistit; hæc enim mors
brutorum animalium est: sed destructione totius com-
positi, seu dissolutione animæ & corporis. Dan. xii. 2.
Multi de his, qui dormiunt in terra pulvere, evigilabunt.

ii. Cujus causa non tantum est naturalis defectus
humidi radicalis & caloris nativi, aut alia accidentia
externa, unde naturalis vel violenta mors sequitur,
sed præcipuè peccatum, per quod homo, à Diabolo
seductus, temporalem ac æternam mortem sibi con-
scivit. Rom. vi. 23. *Stipendia peccati mors.*

iii. Et sicut peccato, ita morti quoque omnes ho-
mines, etiam illi, qui per Prophetas, Christum & A-
postolos resuscitati fuerunt, obnoxii sunt, solo Eno-
cho & Eliâ, & qui in extremo die superstites erunt, ex-
ceptis. Hebr. ix. 27. *Statutum est hominibus semel mori,*
post hæc autem judicium. Marc. v. 4. seqq. *Puella, tibi*
L dico,

*dico surge. Et confestim surrexit puella, & ambulabat. ---
& jussit dare illi manducare. Hebr. XI. 5. Fide Enoch trans-
latus est, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia trans-
tulit illum Deus.*

iv. Post separationem factam nullæ animæ in lim-
bum, sive patrum V. T. sive infantum nondum cir-
cumcisorum aut baptifatorum, ubi solâ poenâ dam-
ni, non sensûs, afficiantur, unquam descenderunt.
Luc. XVI. 22. *Factum est, ut moreretur mendicus, & portaretur
ab Angelis in sinum Abrabæ. Et v. 25. Nunc autem hic
consolatur, tu verò cruciaris. Gen. XVII. 7. Ego DEUS tuus &
seminis tui post te.*

v. Neque ut propter peccata venialia, vel peccato-
rum mortalium hîc remissorum temporales poenas
nondum condonatas in aliquo subterraneo loco an-
te purgentur, quàm in cœlos subvolent, aut ad æter-
na gaudia admittantur, opus habent. Marc. XVI. 16.
*Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non
crediderit, condemnabitur. Luc. XXIII. 43. Dixit illi (latro-
ni) JESUS: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.*

vi. Multò minus ut hîc in purgatorio existentes
per suffragia Ecclesiæ, seu sacrificia missatica, preces,
aliaque opera poenaliâ & satisfactoria adjuventur, &
inde liberentur. I. Joh. II. 1. seqq. *Si quis peccaverit, ad-
vocatam habemus apud patrem, JESUM CHRISTUM, & ipse
est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tan-
tùm, sed etiam pro totius mundi.*

vii. Minimè omnium, ut separata à corpore dor-
miant, & profundo quasi somno ac oblivione rerum
omnium, quas in his terris cognoverunt, detinean-
tur, nec vel cognoscant quicquam, nec lætitiâ aut tri-
stitiâ afficiantur. Luc. XVI. 25. *Fili, recordare, quia recepisti
bona*

*bona in vitâ tuâ, & Lazarus similiter mala. Et v. 27. seqq. Ra-
go ergo te, Pater, ut mittas eum in domum patris mei. Habeo
enim quinque fratres.*

VIII. Sed animæ piorum & fidelium, quamprimum
ex corpore excedunt, statim ad Dei visionem ac ipsam
æternæ beatitudinis possessionem perveniunt, quæ
tamen & intensivè, ratione objecti beatifici, & exten-
sivè, ratione corporis, in extremo die augebitur. Apoc.
VII. 14. seqq. *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, &
laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine agni.
Ideò sunt ante thronum DEI, & serviunt ei die ac nocte in tem-
plo ejus, & qui sedet in throno, habitabit super illos. II. Tim. IV.
8. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi
Dominus in illâ die, justus judex, non solum autem mihi, sed &
ijs, qui diligunt adventum ejus.*

IX. Quamvis autem calamitates nostras in genere
sciant, & eo modo pro Ecclesiæ necessitatibus apud
DEUM intercedant, quia tamen nec omniscia sunt,
nec omnipræsentes aut omnipotentes, ut omnium
preces audire & juvare queant, ideò ab omnibus ubi-
vis locorum adorari nec possunt nec debent. Apoc.
VI. 9. seqq. *Vidi super altare animas interfectorum, propter
verbum DEI, & propter testimonium, quod habebant, & cla-
mabant voce magnâ, dicentes: Unusquequò Domine sanctus &
verus, non judicas & non vindicas sanguinem nostrum de his,
qui habitant in terra? Matt. IV. 10. Dominum DEUM tuum
adorabis, & illi soli servies.*

X. Corporum tandem exuviæ reverenter tractan-
dæ monumentis inferendæ sunt, donec cum ani-
mabus rursus unitæ ex pulvere terræ resuscitentur.
Deut. XXXIV. 5. seqq. *Mortuus est Moses, servus Domini in
terrâ Moab, jubente Domino: Et sepelivit eum in valle terra*

Moab, & non cognovit homo sepulchrum ejus, usque in presentem diem. II. Reg. xxviii. 18. Dimittite eum, nemo commoveat ossa ejus. Et intacta manserunt ossa illius cum ossibus Prophetæ.

XI. Quæ resuscitatio sicut non naturali aliqua, sed supernaturali & divinâ tantum potentiâ ac virtute Christi *Ἰσχυρὸς* præstabitur, ita ex ejus solius revelatione tale quid futurum esse, aut fieri posse indubitato cognoscitur. Ezech. xxxvii. *Fili hominis, putasne, vivent ossa ista?* Et dixi: Domine DEUS, tu nosti. Joh. v. 21. *Sicut pater suscitavit mortuos & vivificavit, sic & filius, quos vult, vivificat.* Et v. 25. *Veniet hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, vivent.*

XII. Non omnes tamen ex eadem causâ suscitabuntur, sed pii efficaciam meritorum & virtute resurrectionis Christi Servatoris, impii verò omni potentiâ ejusdem, & vi decreti ac justitiæ Dei vindicativæ. I. Cor. xvi. 20. seqq. *Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium, --- Et in Christo omnes vivificabuntur.* Gen. ii. 17. *Quocumque die comederis ex eo, morte morieris.*

XIII. Utrique autem resurgent iidem prorsus, qui ante erant, eadem numero & specie animâ, eodemque corpore, integro & staturâ profecto, præditi, ut reportet quisque in corpore suo, quod in hac vitâ gessit, præmium aut pœnam. II. Cor. v. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.*

LUC. XVI. 23. *Elevans oculos suos cum esset in tormentis.*

COMPENDII THEOLOGICI

DISPUTATIO XXII. & ULTIMA.

DE

EXTREMO JUDICIO, CONSUMMATIONE SEculi, INFERNO ET VITA ÆTERNA.

PRÆSIDE

JOHANNES MEISNERO,
S. S. Theol. D. & Prof. P.

RESPONDENTE

GEORGIO Haupt / Friedebergâ
Neo-Marchico.

Thes. I.

Resurrectionem mortuorum mox excipiet universale iudicium, nec terrenum regnum, quod omnibus externis delitiis abundans ante consummationem seculi sancti cum Christo per mille annos in his terris, & urbe quidem Hierosolymorum suaviter transacturi sint, deinceps expectari debet. Matt. XIII. 39. seqq. *Messis consummatio seculi est. Messores autem Angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur: sic erit in consummatione seculi. Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Et v. 49. Sic erit in consummatione seculi: exhibunt Angeli & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis.*

II. Illius tempus, annus, mensis, dies & hora nequæ ex Scriptura, neque aliunde accuratè sciri & cognosci potest. Marc. XIII. 32. *De die illa vel hora nemo scit: neque angeli in caelo, neque filius, nisi pater.* Act. I. 7, *Domine,*

an in tempore hoc restitues regnum Israel? Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, qua Pater posuit in sua potestate.

III. Et quanquam ut potestas & auctoritas judicandi, ita iudicium ipsum toti SS. Trinitati commune sit, peculiariter tamen filio *Ἰουάνης* à patre ad hoc officium destinato, in externa specie ac formâ humanis oculis aspectabili redituro, & voce sensu perceptibili usuro competit. Joh. v. 26. seqq. *Pater potestatem dedit filio iudicium facere, quia filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei.*

IV. Veniet autem innumerabili angelorum, tanquam satellitum, exercitu stipatus, assistentibus & suo modo iudicantibus Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Doctoribus, fidelibusq; aliis. Matt. xxiv. 30. seq. *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & majestate. Et mittet angelos suos cum tuba & voce magnâ, & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à summis cœlorum, usque ad terminos eorum. Cap. xix. 18. Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.*

V. Et iudicabit omnes homines, idque proximè & immediatè quidem ex fide aut incredulitate, consequenter tamen ex operibus sive bonis sive malis, quæ piis quoque in memoriam revocabuntur. Joh. iii. 18. *Qui credit in eum, non iudicatur. Qui autem non credit, jam iudicatus est, quia non credidit in nomine unigeniti filij Dei. II. Cor. v. 10. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.*

vi. Interim nec probabile est, nec gloriæ aut dignita-
ti judicariæ electorum videtur convenire, ut omnia
eorum, sicut impiorum peccata detegantur, & ab om-
nibus, etiam improbis perspiciantur. Hebr. x. 17. *Pecca-
torum & iniquitatum eorum non recordabor amplius.* Mich.
vii. 19. *Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.*

vii. Atque hætenus πολυδαίδαλον ista cælorum ac
terrarum machina, nubes & aer supererunt, sed pro-
nunciata sententiâ omnes creaturæ, exceptâ solâ rati-
onali, non tantum quoad qualitates, sed etiam sub-
stantiam suam igne exurentur. Psal. cii. 26 seq. *Ini-
tiò tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt
cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vesti-
mentum veterascent, & sicut indumentum mutabis eos, & mu-
tabuntur. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* 11.
Pet. iii. 10. *Adveniet dies Domini sicut fur, in quo cæli magno
impetu transient, elementa verò calore solventur, terra au-
tem & omnia, quæ in ipsa sunt, opera exurentur.*

viii. Atque hic ignis idem futurus est cum eo, quo
impii & damnati in æternum cruciabuntur, præterna-
turalis scilicet, & sublimioris, quam noster est, effica-
ciæ perpetuæq; durationis, quiq; esse suum & agere
divinæ voluntati ac potentiæ unicè debebit. 11. Pet.
iii. 7. *Cæli, qui nunc sunt, & terra eodem Dei verbo repositi
sunt, igni reservati, in die judicij & perditionis impiorum ho-
minum.*

ix. Consistet autem impiorum æterna damnatio,
tùm in privatione visionis Dei beatificæ, quæ vulgò
pœna damni dicitur, tum in perpetuo cruciatu cor-
poris & animæ, quæ pœna sensus est. Matt. xxv. 41. *Disce-
dite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo,
& angelis ejus.* Luc. xvi. 24. *Crucior in hac flammâ.*

x. Ele-

x. Electorum contra beatitudo seu vita æterna posita erit primò respectu animæ, in clarâ & intuitivâ Dei visione, oculis tam corporis, quàm intellectûs futurâ & ab eâ manante gaudio ac amore incredibili, unâ cû absentia omnis peccati. 1. Cor. XIII. 12. *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem à facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Luc. XX. 35. seqq. *Illi, qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores: neque enim ultra mori poterunt: Æquales enim angelis sunt.*

xi. Deinde respectu corporis in ejusdem incorruptibilitate, subtilitate, agilitate & claritate. 1. Cor. XV. v. 41. seq. *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.* Matt. XIII. 43. *Tunc justî fulgebunt sicut sol, in regno patris eorum.*

xii. Et quanquam beatitudine ipsâ potientur ex æquo omnes beati, neque in eo ullum discrimen sit, diversi tamen gradus erunt, tum damnationis seu pœnæ positivæ, tum gloriæ, in dotibus quibusdam accidentalibus, & imprimis claritate & splendore corporum. Matt. XI. 22. *Tyro & Sydoni remissius erit in die judicij, quàm vobis.* 1. Cor. XV. 41. *Alia claritas solis, alia claritas lune, & alia claritas stellarum. Stella enim à stellâ differt, in claritate: sic & resurrectio mortuorum.*

xiii. Locus tandem utriusque seu pœnæ supplicii & gaudii, quale & ubi futurum sit, indubitato non constat, id interim certum est, neutrum esse creatum, aut productum in sextiduo, ac proinde nec igne exurendum. II. Cor. V. 1. *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus domum non manu factam, sed æternam in cœlis.*

F I N I S.

In. evang. dogm. 138.

